








*Comp. 400.*



# ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

---

VIII.

SEQUENTIAE INEDITAE.

## Liturgische Prosen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

**Guido Maria Dreves,**

S. J.

---

Leipzig.

Fues's Verlag (R. Reisland).

1890.

SEQUENTIAE INEDITAE.

---

# Liturgische Prosen

des

## Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

**Erste Folge**

herausgegeben

von

**Guido Maria Dreves,**

S. J.



Leipzig.

Fues's Verlag (R. Reisland).

1890.



JUN - 8 1938

10788



## Vorwort.

---

Der folgenden Sammlung von Sequenzen habe ich, nach dem, was ich in der Einleitung zum siebenten Hefte dieser *Analecta* des Längern erörtert, wenige Worte vorzuschicken.

Dieselbe ist zum größeren Teile Handschriften, zum kleineren Wiegendruckentnommen, einige wenige Nummern sind sogar Druckwerken entlehnt, die nur in sehr uneigentlichem Sinne den Inkunabeln beigezählt werden können. Es ist selbstredend, daß handschriftliche Quellen vor den gedruckten den Vorzug verdienen, und stets bleibt ein Gefühl des Unbefriedigtseins zurück, wenn es nicht gelingen will, auf erstere zurückzugehen; und dies nicht nur deshalb, weil die Schrift uns in der Regel dem Ursprunge eines Liedes näher bringt, als der Druck vermag. Der Hauptmangel handschriftlicher Quellen, die Fehler-, ja Lückenhaftigkeit derselben, haftet nämlich und zwar in gleichem Grade den frühen und frühesten Drucken an, so daß es sich, was Vollständigkeit und Richtigkeit eines Textes betrifft, vielfach völlig gleich bleibt, ob man bezüglich derselben auf eine Handschrift oder einen Wiegendruck angewiesen ist. Ja der Druckfehler ist meist noch verhängnisvoller als der Schreibfehler, da letzterer doch nur ausnahmsweise in andere Handschriften übergeht, ersterer sich auch in die späteren Auflagen einzuschleichen pflegt.

Zu diesen mehr äußerlichen Mängeln der Drucke kommen auch für die frühesten derselben wesentliche innere Nachteile hinzu. Der Wiegendruck giebt nämlich in der Hälfte der Fälle kein getreues Bild von dem vor der Zeit des Druckes in einem kirchlichen Sprengel in Gebrauch befindlichen hymnologischen Bestande. Denn die Zeit der Wiegendrucke ist gerade eine Zeit, in der sehr gründlich mit allen Anschauungen und Überlieferungen früherer

Tage gebrochen ward und eine durchgreifende Umbildung des Geschmackes sich vollzog. Dieselben dienten daher nicht blofs der Fixierung und Verbreitung des bisher Üblichen, sondern meist ebensowohl der Veränderung, durch Weglassung, Zusetzung oder Verbesserung des Bestehenden. Ein alter Text, der einzig auf einem Drucke ruht, ist daher, wo nicht innere Gründe den Zweifel beheben, stets verdächtig.

Trotz dieser Mängel sind die Wiegendrucke nicht schlechterdings auszuschließen. Einmal war die liturgische Dichtung, wie vorerwähnt, zur Zeit der ersten Druckerthätigkeit noch nicht abgeschlossen — als Zeit dieses Abschlusses, der Krystallisation, kann und muß, unerachtet der gallikanischen Reformen des siebzehnten Jahrhunderts, das Tridentinum bezeichnet werden; andererseits hat uns die Ungunst der Zeiten in vielen Fällen in die Unmöglichkeit versetzt, die handschriftlichen Quellen zu befragen. So hat Klemming für seine Ausgabe des in Schweden ehemals gebräuchlichen Hymnenschatzes nur 16 Handschriften benutzen können, und was Dänemark betrifft, habe ich auf der königlichen Bibliothek zu Kopenhagen nicht eine einzige liturgische Handschrift dänischen Ursprungs auffinden können; ja selbst von den in den zwei ersten Jahrzehnten des sechzehnten Jahrhunderts gedruckten dänischen Mess- und Chorbüchern haben sich günstigsten Falles kaum ein oder das andere Exemplar erhalten. Und wie hier, so erging es den liturgischen Handschriften in einem großen Teile Deutschlands und Frankreichs, in England, Holland, Ungarn, Böhmen, Polen, und was der Zeit, dem Feuer und dem Kriege entrann, das decimierte während dreier Jahrhunderte der Vandalismus der Buchbinder, Zuckerbäcker und Feuerwerker, so daß die Zahl der liturgischen Handschriften bei allem scheinbaren Reichtum geradezu minimal ist im Vergleich zu dem, was für immer verloren. In Fällen nun, in denen die Handschriften so gänzlich verschwunden sind, wie in den vorerwähnten, tritt naturgemäß die Inkunabel als älteste Quelle in alle Rechte und Ehren einer Handschrift ein.

Ich kann es nicht unterlassen, an dieser Stelle auf eine Anzahl Sequenzen wenigstens im allgemeinen aufmerksam zu machen, welche dreien Handschriften der Abtei St. Martial von Limoges (Codd. Parisiens. 778, 1086, 1139) entnommen sind. Es ist auffallend, daß wir über den größten liturgischen Dichter

des Mittelalters, Adam von St. Viktor, so ungenügend unterrichtet sind. Seine Sequenzen sind zu Ende des zwölften oder zu Anfang des dreizehnten Jahrhunderts, vermutlich unter Erzbischof Eudes de Sully, also in einer Zeit, die in vollster historischer Beleuchtung steht, in das Missal von Paris aufgenommen, ohne daß uns von dieser wichtigen liturgischen Neuerung, sei es in den Archiven des Kapitels, sei es in den gleichzeitigen Schriftstellern, irgend eine Nachricht erhalten wäre. Was die Abtei von St. Viktor betrifft, so sind die Traditionen derselben dürftig, erst spät, zum Teil erst im siebzehnten Jahrhundert aufgezeichnet und dergestalt mit irrtümlichen Angaben durchsetzt, daß sie so gut wie kein Vertrauen verdienen. Wenden wir uns, um sicheren Boden zu gewinnen, zu den uns erhaltenen liturgischen Monumenten der Viktoriner, so führen uns die ältesten vorhandenen Gradualien und Meßbücher (Codd. Parisiens. 14452 und 14819) nicht über den Anfang des vierzehnten Jahrhunderts hinauf. Man hat zwar versucht, diese Handschriften in den Anfang des dreizehnten Jahrhunderts zu versetzen, weil in denselben die Prose *Regis et pontificis*, gedichtet zum ersten Feste der *Illatio sanctae coronae* im Jahre 1239, fehlt und am Schlusse von späterer Hand nachgetragen ist<sup>1)</sup>. Der Grund ließe sich hören, wenn es sich um ein Manuskript handelte, das der Schrift nach in den Anfang des dreizehnten Jahrhunderts gesetzt werden könnte. Hier aber widerspricht die vollkommen ausgebildete eckige Mönchsschrift mit wechselndem offenen und geschlossenem **a** in einer Weise, die jeden Zweifel ausschließt. Dieser paläographischen Notwendigkeit gegenüber ist das Fehlen der genannten Prose ohnmächtig. Wie viele Missalien des vierzehnten, ja fünfzehnten Jahrhunderts giebt es, in denen die Sequenz *Lauda Sion* im Texte fehlt und am Ende nachgetragen ist; es ist darum noch niemandem beigefallen, sie sämtlich ins dreizehnte Jahrhundert hinaufzudatieren.

Dieser Armut gegenüber ist es interessant festzustellen, daß die Abtei St. Martial uns drei Handschriften des zwölften und dreizehnten Jahrhunderts bietet<sup>2)</sup>, in denen unter zahllosen andern älteren Prosen Sequenzen Adams von St. Viktor vorkommen.

1) Misset, *Lettres chrétiennes* II, 200 und 202.

2) Über Cod. 1139 vgl. Léon Gautier, *Oeuvres poétiques d'Adam de Saint-Victor*. 1881, S. XX ff; über Codd. 778 und 1139 die Vorrede zum VII. Heft dieser Sammlung.

Neben diesen unzweifelhaft echten und von allen anerkannten bieten die Handschriften von Limoges eine Anzahl anderer, welche in frappierender Weise die stilistischen Eigentümlichkeiten des Viktoriners an sich tragen. Ist es schon befremdend, daß die entlegene aquitanische Abtei die ältesten Texte für Sequenzen Adams bietet, so wirkt dieser Reichtum an frühen Quellen bei dem völligen Schweigen der Pariser und Viktoriner geradezu verblüffend. Mehr möchte ich für den Augenblick nicht behaupten, aus Furcht, in eine weitläufige Untersuchung, die hier nicht am Platze wäre, verwickelt zu werden; dies wenige an dieser Stelle zu sagen, mochte ich nicht unterlassen, aus Besorgnis, die betreffenden Sequenzen möchten sonst in der Menge der übrigen unbeachtet bleiben, während sie doch für eine Überprüfung des Adam von St. Viktor zuzuschreibenden Sequenzenbestandes von hervorragendem Interesse sind, selbst dann, wenn man sie nur als täuschende Nahahmungen wollte gelten lassen.

Was die Wiedergabe der Texte betrifft, so werde ich an der in Band VII zur Anwendung gebrachten Methode, Strophe und Antistrophe sich gegenüberzustellen, für alle Sequenzen festhalten, auch für jene Sequenzen zweiter Epoche, bei denen dies nicht notwendig wäre. Es tritt hier der alte Grundsatz in sein Recht: *pars major trahit minorem*. Noch will ich bemerken, daß, wenn ich eine Handschrift schlechthin als Codex Monacensis, Parisiensis, Hafniensis bezeichne, stets die größte Bibliothek des Ortes, also die Hof- und Staatsbibliothek, die Nationalbibliothek u. s. w. gemeint ist, während sekundäre Bibliotheken durch nähere Bestimmung kenntlich gemacht werden.


Berlin, den 17. November 1889.

**Guido Maria Dreves.**

I.

**DE TEMPORE.**

---



## I. De sanctissima Trinitate.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Unum simplex et perfectum,<br/>Quod transcendit intellectum,<br/>Ens in summo nobile,</p> | <p>1 b. Ens aeternum, ens necesse,<br/>Per se solum habens esse,<br/>Movens et immobile.</p>    |
| <p>2 a. Quod nec tempus secum rapit<br/>Neque locus in se capit,<br/>Cui nec est accidens,</p>    | <p>2 b. Factor lucis, dator vitae,<br/>Mens virtutis infinitae,<br/>Mens futura praevidens.</p> |
| <p>3 a. Fons totius bonitatis,<br/>Impertiri volens gratis<br/>Suam cunctis copiam,</p>           | <p>3 b. Totum potens, totum novit,<br/>Quod ad omnem se devovit<br/>Faciendam gratiam.</p>      |
| <p>4 a. Agens tamen non vexatur,<br/>Sed nec sciens occupatur<br/>Nec fit pauper munerans,</p>    | <p>4 b. Solo verbo cuncta creat,<br/>Verbo docet, verbo beat,<br/>Verbum ex se generans.</p>    |
| <p>5 a. Verbum ex se par et pari,<br/>Cujus nequit enarrari<br/>Mira generatio,</p>               | <p>5 b. Natum enim verbum menti<br/>Coaeternum est gignenti<br/>Et unum in alio.</p>            |
| <p>6 a. Sed et natum genitori<br/>Nectit amor et amori,<br/>Ambo idem penitus,</p>                | <p>6 b. Amor nectens, sacer flatus,<br/>A duobus inspiratus<br/>Procedens, non genitus.</p>     |
| <p>7 a. Nequit tamen comprehendi<br/>Modus ipse procedendi,<br/>Muta fiant labia;</p>             | <p>7 b. Satis dicis, cum exponis,<br/>Deum trinum in personis,<br/>Unum in essentia.</p>        |
| <p>8 a. Non sunt unus, sed est unum,<br/>Tres est eos opportunum<br/>Et non tria dicere;</p>      | <p>8 b. Sed quod Deus unus trinus,<br/>Ubi majus nil aut minus,<br/>Confitemur libere.</p>      |
| <p>9 a. Nos ad tantae trinitati<br/>Serviendum sumus nati,<br/>Sibi laus et gloria;</p>           | <p>9 b. Serviamus ei soli,<br/>Quia sola digna coli,<br/>Sola digna latria.</p>                 |
| <p>10 a. Ave pater, rex creator,<br/>Ave fili, lux salvator,<br/>Ave, pax et caritas;</p>         | <p>10 b. Ave simplex, ave trine,<br/>Ave regnans sine fine,<br/>Una summa trinitas.</p>         |

Miss. ms. Cameracense? saec. 14. Cod. Parisiens. 17311. A. — Cod. Parisiens. 1343 saec. 14. B. — Die letztgenannte Handschrift enthält ein Officium de immaculata von König Karl von Sicilien, dem einige Sequenzen mit Melodien folgen, darunter die obige.

## 2. De sanctissima Trinitate.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Vox clarescat, mens purgetur,<br>Homo totus emundetur,<br>Dulci voci conformetur<br>Pura conscientia, | 1 b. Patri, proli jubilemus,<br>Sanctum pneuma praedicemus,<br>Unam laudem tribus demus,<br>Quos unit essentia. |
| 2 a. Pater creans increatus,<br>Nascens ab aeterno natus,<br>Amor ab his derivatus<br>Sunt una substantia. | 2 b. Tres personae trinitatis<br>Unum esse deitatis<br>Et ejusdem potestatis<br>Et idem per omnia.              |
| 3 a. Distinguuntur tres personae<br>Quaevis sua notione,<br>Non humana ratione<br>Discernuntur talia.      | 3 b. Pater, proles et spiramen<br>Opem praestent et solamen<br>Nobis reis et juvamen<br>Ad vitanda vitia.       |

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098. Mel. = Verbum bonum.

## 3. De sanctissima Trinitate.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Quicumque vult<br>sortem uranicam,<br>Corde credat<br>fidem catholicam.                 | 1 b. Omnis enim,<br>qui non crediderit,<br>Salvus esse<br>minime poterit.                        |
| 2 a. Unum Deum fides nostra<br>veneratur trinitate,  | 2 b. Trinitatem adorare<br>gratulatur unitate.   |
| 3 a. In personis trinitatem,<br>In usia unitatem<br>Affirmamus.                              | 3 b. Tres personas unum Deum<br>Qui non credit, esse reum,<br>Non negamus.                       |
| 4 a. Pater a nullo est factus,<br>filius a patre genitus,                                    | 4 b. Neque factus, neque natus,<br>sed procedens spiritus.                                       |
| 5 a. Has personas coaeternas<br>esse consubstantiales  | 5 b. Et omnino coaequales,<br>nos docet paraclitus.  |
| 6 a. Patris verbum incarnatum<br>Sine patre matris natum,<br>Est necesse credere.            | 6 b. Nam in coelis sine matre,<br>Sed in terris sine patre<br>Nos venit redimere.                |
| 7 a. Verus Deus,<br>lumen de lumine,<br>Homo verus,<br>homo de homine,<br>Virgine inviolata. | 7 b. Haec in partu,<br>haec post partum<br>Virgo mansit,<br>solem ortum<br>Edidit virgo intacta. |
| 8 a. Jesus Christus, homo Deus,<br>A Judaeis quasi reus<br>Crucifixus obiit                  | 8 b. Et infernum spoliavit,<br>Deus Jesum suscitavit,<br>Et post coelum petiit.                  |
| 9 a. Inde coelum, terra, mare<br>Venturus est immutare,                                      | 9 b. Mortuorum ac vivorum<br>Dicta, facta judicare.  |



- |  |   |
|--|---|
| 10a. Ante enim omnes surgent<br>in propriis corporibus,          | 10b. Reddaturi rationem<br>de commissis omnibus.                          |
| 11a. Et qui bene certavere,<br>reges erunt cum Domino,           | 11b. Victi vero desolati<br>lugebunt sine termino.                        |
| 12a. Ergo, sancta, benedicta,<br>* * * * *<br>gloriosa trinitas, | 12b. Decoratos, laureatos,<br>ubi sedet ubi fulget<br>sine fine claritas, |
13. Nos suscipe.

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. — 1b, 4 non poterit. — 12a, 2; ob hier eine Zeile fehlt, ist nicht mit Sicherheit zu erkennen, da die Noten von 12b, 2 in 12a, 1 über dem Worte benedicta melismatisch kontrahiert sind.

#### 4. De sanctissima Trinitate.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Laus patri gloriae,<br>Qui suum filium<br>Gentibus et populo<br>Revelans<br>Israel nos sociat. | 1b. Laus ejus filio,<br>Qui suo sanguine<br>Nos patri concilians<br>Supernis<br>Sociavit civibus. |
|--|---|
2. Laus quoque  
Sancto spiritui  
Sit per aevum.

Grad. Monasteriense imp. s. l. et a.

#### 5. In Adventu.

1. Ab arce siderea  
Descendens lux aurea  
Virginis in gremium
- |  |   |
|--|---|
| 2a. Peccatorum abstulit<br>Tenebras et contulit<br>Miseris remedium;                             | 2b. Cujus lucis radio<br>Illustrata concio<br>Gaudeat fidelium.                             |
| 3a. Haec nova lux Christus est,<br>In mundo qui natus est<br>Pro salute gentium,                 | 3b. Huic pater ingenitus<br>Praemisit divinitus<br>Gabrielem nuntium.                       |
| 4a. Ave, dixit nuntius,<br>Ex te, virgo, filius<br>Nascetur, pax gentium,<br>Salus, vita omnium. | 4b. Sine viri coitu<br>Plena sancto spiritu<br>Concipies parvulum,<br>Qui salvabit populum. |
| 5a. Ut haec audit,<br>Virgo plaudit<br>Et fideli<br>Gabrieli<br>Verba reddit dulcia;             | 5b. Ait illa:<br>Sum ancilla<br>Regis hujus,<br>Defers cujus<br>Mandata salubria.           |

- |  |  |
|--|--|
| <p>6a. At ancillae<br/>Mandat ille:<br/>Fies parens,<br/>Licet carens<br/>    Conjugali copula;</p> <p>7a. Ex Maria sic est natus<br/>Rex Messias appellatus,<br/>    Qui natus nova gaudia<br/>    Dedit renovans omnia.</p> <p>8a. O Maria, vas pudoris,<br/>Nostri mater salvatoris,<br/>Hac in die tu Messiae<br/>    Servos reconcilia;</p> | <p>6b. Ad haec verba<br/>Non superba<br/>Virgo prolem,<br/>Stella solem,<br/>    Florem gignit virgula.</p> <p>7b. Nobis ergo praesentatum<br/>Veneremur regem natum,<br/>    Quem nasciturum cantica<br/>    Praedixerunt prophetica.</p> <p>8b. Ut quos ipse jam redemit<br/>Et cruore suo emit,<br/>Prece tua nos ad sua<br/>    Reducat palatia.</p> |
|--|--|

9. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Pelsinense anni 1491 Cod. Musaei Bohemici s. sign. A. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438 B. — Grad. ms. Pragence VI B 24. C. — Miss. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisiens. 10 502 D. — Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Paris. (Arsen.) 135 E. — Mel.: Mane prima Sabbati. — 3b, 1 Cui pater E; Hinc pater AC. — 4a, 1 Ave dixit angelus AC gegen den Reim. — 4a, 4 Vita salus D; vita hominum AC ebenfalls gegen den Reim. — 5b, 5 Inaudita salubria C. — 6a, 1 Ut ancillae D. — 7a, 3 u. 4 und 7b, 3 u. 4 umgestellt D. — 8a, 1 lux decoris D. — 8b, 2 cruore sacro DE.

6. In Nativitate DN.

(In mane.)

1. Lux fulget hodierna,  
Christus in qua  
    mundo gaudia

- |   |   |
|---|---|
| <p>2a. Patris dedit nova<br/>missus ab arce supera,</p> <p>3a. Saeculi pro vita<br/>mortalia<br/>suscepit et fragilia.</p> <p>4a. Relinquens integra<br/>matris et illibata<br/>viscera</p> <p>5a. Vagit parvulus<br/>praesepe<br/>intra angustias.<br/>Quem non capiunt<br/>aethera, sola<br/>et infera<br/>nec rerum omnium<br/>spatia,</p> | <p>2b. Arva petens ima<br/>carnea septus trabea.</p> <p>3b. Servuli in forma<br/>apparuit<br/>tegens humanis divina.</p> <p>4b. Virginis aurea<br/>prodiit tamquam sponsus<br/>ab aula.</p> <p>5b. Arta tegitur<br/>fascia,<br/>qui vestit omnia.<br/>Pascit qui cuncta,<br/>sugit ubera<br/>virginia<br/>et tonat, rutilat<br/>in aethera.</p> |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| 6a. Angelica resultant<br>Domino gloriam<br>in excelsis Deo<br>agmina.   | 6b. Pastoribus gaudia<br>intonant coelica<br>venisse populis<br>in terra.                                |
| 7a. Cunabula<br>cujus ad veneranda<br>stella ovans<br>duxit nova<br>trina magos<br>ferentes munera<br>mystica. | 7b. Quem callida<br>Herodis versutia<br>perimere<br>saeviebat<br>infantium<br>trucidans milium<br>milia. |
| 8a. Felix mater et intacta,<br>hunc enixa<br>o virgo, virginum<br>regina,                                      | 8b. Regem natum die ista<br>posce tuum<br>pro nobis filium<br>sedula,                                    |
| 9a. Ut nostra<br>qui jam venit<br>redimere crimina,  | 9b. Nos ducat<br>ad coelica<br>regna, quo laetemur in  |
10. Gloria  
tecum, Maria.

Grad. ms. Fossatense saec. 13. Cod. Parisiens. 13254. A. — Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL. Fol. 12. B. — 5a, 3 inter B. — 6a, 2 resultant B. — 6b, 3 venisse Dominum B. — 9a, 3 stella vians B. — 9a, 1 Et nostra A.

### 7. In Nativitate DN.

1. Candor surgens ut aurora  
Solvit chaos pulsa mora  
Noctis de caligine,
- |   |  |
|---|--|
| 2a. Geniturae novo jure<br>Non de viro feta miro<br>Deum parit ordine.  | 2b. Lex naturae matris purae<br>Causam nescit nec marcescit<br>Feta flos in virgine.                                   |
| 3a. Matris risus te signavit<br>Matrem ducis, qui salvavit<br>Luto fessum et oppressum<br>In Aegypto populum. | 3b. Arca dudum quod servavit,<br>Manna profers, in quo David<br>Gaudet ludens, ludus prudens<br>In te laudat parvulum. |
| 4a. Illa mitis Moabitibus<br>Ruth quaerebat, quod latebat<br>Tunc Noemi gaudium.                              | 4b. Bethlemitis botrus vitis<br>Jam non latet, quod non patet<br>Spes ulla per alium.                                  |
| 5a. Veri lectus Salomonis<br>Contra regem Aquilonis<br>Parvum fovit, qui removet<br>Grave jugum oneris.       | 5b. Quid sit vide rationis,<br>Quod conflictus Gedeonis<br>Non salvaret, si non daret<br>Virtutem ros velleris.        |
| 6a. Quam amoenus ager plenus<br>Madet rore, quem ab ore<br>Gabrielis suscipit;                                | 6b. Cujus fructus fit conductus,<br>Per quem fretus exsul vetus<br>Stolam primam recipit.                              |

- |   |  |
|---|--|
| 7a. Audi, filia,<br>Pulchra facie,  | 7b. Fer praesidia,<br>Plena gratiae.   |
| 8a. Te placata vivet reus,<br>Quod vis, praestat homo Deus,<br>Qui mamillas captans illas<br>Tuo flebat gremio. | 8b. Quem lactasti tuum pridem,<br>Non est alter, regnat idem,<br>Honor matris, splendor patris<br>In coelorum solio. |

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 379 A. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456 B. — Miss. ms. Palat. Vindob. 13314 saec. 11. add. saec. 13. C. — 1, 1 Candor surgit A. — 8a, 3 sq. mamillas quondam illas Captabat in gremio C.

### 8. In Circumcisione DN.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Hac die festa concinat<br>multimoda camoena       | 1b. Collaudans coeli dominum<br>cum dulci cantilena.      |
| 2a. Per haec enim solemnna<br>sunt cuncta renovata,   | 2b. Humano quoque generi<br>sunt praemia donata.          |
| 3a. Invenit dragmam mulier,<br>accenditur lucerna,    | 3b. In carne dum comparuit<br>mens Deo coaeterna.         |
| 4a. Dum cadit secus Jericho<br>vir Jerosolymita,      | 4b. Samaritanus adfuit,<br>collapse datur vita.           |
| 5a. Perducit hic in stabulum<br>clementia divina,     | 5b. Vinum permiscet oleo<br>suavi medicina.               |
| 6a. Curantis aegri vulnera<br>sunt dulcia fomenta,    | 6b. Cum cunctis poenitentia<br>fuit reis inventa.         |
| 7a. Bini dati denarii<br>sunt duo testamenta,         | 7b. Dum Christus finis utrius-<br>que complet sacramenta. |
| 8a. In tellus rore germinat<br>nec paret madefacta,   | 8b. Dum virgo Deum parturit<br>et mater est intacta.      |
| 9a. In teneris exortus est<br>puer, lux sempiterna,   | 9b. Octava circumcisisus est<br>hac die hodierna.         |
| 10a. Haec ab antiquis patribus<br>dies fuit praevisa, | 10b. Cum se prolemque Domino<br>dant carne circumcisa.    |
| 11a. Ergo nos circumcidamus<br>non carnis praepudia,  | 11b. Sed a nobis abscindamus<br>sordes atque vitia.       |
| 12a. Ut mundati mente carnis<br>capiamus praemia,     | 12b. Quae octava confert aetas<br>merenti coelestia.      |

13. Eja die ista  
omnis organista,  
cantor et psalmista  
intonet,  
consonet  
cum cytharista.

Grad. ms. Longoretense saec. 13. Cod. Parisiens. 10 511. — 12 b, 1 octavas.

9. In Circumcisione Domini.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Apparuit hodie<br>Mira virtus gratiae,<br>Quae Deum circumcidit;        | 1b. Nomen ei coelicum,<br>Nomen et salvificum,<br>Quod est Jesus, indidit.    |
| 2a. Nomen, salus homini,<br>Nomen, quod os Domini,<br>Ab aeterno nominat;   | 2b. Dudum matri numinis<br>Hoc et sponso virginis<br>Angelus denuntiat.       |
| 3a. Tu nequam vim Zabuli,<br>Tu peccatum saeculi,<br>Nomen sacrum, superas. | 3b. Jesu, nostrum pretium,<br>Jesu, spes moerentium,<br>Mentes sana miserias. |
| 4a. Quod deest in homine,<br>Supple tuo nomine,<br>Quod est salutiferum.    | 4b. Tua circumcisio<br>Cordis sit praecisio,<br>Efficax cauterium.            |
| 5a. Sanguis fusus sordidos<br>Lavet, riget aridos,<br>Moestis det solatium. | 5b. Anni nunc initio<br>Bono pro encennio<br>Da te, Jesu, praemium.           |

Prosar. ms. Coelestin. ad. Stae Mariae Parisius saec. 14/15. Cod. Mazarin.  
447 (757) Zuschr. ohne Mel., die indes wohl Veni sancte Spiritus war.

10. In festo Transfigurationis DN.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Hodierna die laetus<br>Micat Jesus inter coetus<br>Uti splendor rutilans,   | 1b. In monte formam gloriae,<br>Quam quaerit spes victoriae,<br>Sic coelestis indicans. |
| 2a. Res memoranda saeculis,<br>Homo creator hominis<br>Forma transfiguratur,    | 2b. Facie solis splendore,<br>Habitu nivis candore<br>Majestas declaratur.              |
| 3a. Quo Moyses cum Elia,<br>Lex ejus et prophetia,<br>Excessus praeloquentes,   | 3b. Adest Petrus cum Jacobo<br>Johanneque theologo<br>Se mutuo noscentes.               |
| 4a. Elias proprio vivus,<br>Moyses sumpto mortuus<br>Corpore paruerunt,         | 4b. In majestate Domini<br>Vitae veri exitii<br>In testes adfuerunt.                    |
| 5a. De nube testimonium<br>Sonat patris ad filium<br>Eosdem obumbrante,         | 5b. Pater de nube loquitur,<br>Mens terrena prosternitur<br>Ex voce intonante.          |
| 6a. Vultu, visu claritatem<br>Utriusque deitatem<br>Auditu percepere,           | 6b. Quam magis in verbis notis<br>Quam auditu sono vocis<br>Intellexerunt verè.         |
| 7a. Cum, inquit, hic est filius<br>Meus dilectus unicus,<br>Ipsam solum audite, | 7b. Hostis solvit ligamina<br>Et aufert cuncta devia<br>Gaudio verae vitae.             |

- |  |   |
|--|---|
| <p>8a. Visionis mysterium<br/>Spem erigit fidelium,<br/>Dilatat charitatem,</p>        | <p>8b. Ac fidei credentium<br/>Deo pie fruendum<br/>Ostendit veritatem.</p>         |
| <p>9a. Ergo solemnium gaudium<br/>Poscit nostra devotio,<br/>Hanc gloriam largire,</p> | <p>9b. Ut spe, fide, caritate<br/>In mortis necessitate<br/>Ad illam pervenire.</p> |

Miss. Sleswicenses imp. in Sleswic 1486.

## II. De Poenis DN.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Reminiscens beati sanguinis,<br/>Quem profudit amator hominis,<br/>Profundo lacrimas;</p>   | <p>1b. Non est locus ingratitude,<br/>Ubi torrens tantae dulcedinis<br/>Attingit animas.</p>  |
| <p>2a. Dulcis Jesu, cur tanta pateris,<br/>Cum peccati nihil commiseris,<br/>Flos innocentiae?</p>   | <p>2b. Ego latro, tu cruce moreris,<br/>Ego reus, tu poena plecteris<br/>Nostrae nequitiae.</p>   |
| <p>3a. Pro re vili cur tantum pretium,<br/>Quid lucraris per hoc supplicium<br/>Dives in gloria?</p>   | <p>3b. An te fecit sic amor ebrium,<br/>Ut nec crucem putes opprobrium<br/>Amoris gratia?</p>   |
| <p>4a. Vaeh mihi misero,<br/>Si non respondero<br/>Tuis muneribus,<br/>Si non amavero<br/>Et compensavero<br/>Dignis operibus<br/>Mortem sanctissimam.</p> | <p>4b. Si pertransiero<br/>Nec tibi vixero<br/>Paucis temporibus,<br/>Si non, ut potero,<br/>Sacrificavero<br/>Totis affectibus<br/>Corpus et animam.</p> |
| <p>5a. Qui longe sistitis,<br/>Ad crucem pergite,<br/>Qui vobis vivitis,<br/>Jam Christo vivite,<br/>Ne moriamini.</p>                                     | <p>5b. Corpus, quod perditis,<br/>Christo configite,<br/>Ne, si non eritis<br/>Membra cum capite,<br/>Juste damnemini.</p>                                |
| <p>6a. Non adspiciatis<br/>Oculis ingratis<br/>Deum cruce mori;</p>  | <p>6b. Dono caritatis<br/>Cambium reddatis<br/>Et vicem dolori.</p>   |
| <p>7a. Regnum quaeritis?<br/>Non intrabitis<br/>Sine crucis clavi;</p>   | <p>7b. Portum petitis?<br/>Non transibitis<br/>Sine crucis navi.</p>  |
| <p>8a. Ave sanguis, apertor januae,<br/>Suscitator naturae mortuae,<br/>Dum in cruce spargaris;</p>  | <p>8b. Quidquid pecco, clementer dilue,<br/>Quidquid peto, tu semper tribue<br/>Novi dono muneris.</p>  |

Grad. ms. Bernhardinorum Cracoviensis. s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae 1540 B. — Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1600. C. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacens. 20 001 D. —

Clm. Monacens. 675 saec. 15. E. — Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.)  
14343 anni 1351. F. — 2 a, 1 Jesu dulcis BF. — Str. 3 fehlt F. — 5 b, 1  
Tempus quod F. — Str. 8 fehlt D; Str. 4 sqq. fehlen E.

12. De Vulneribus Christi.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Hodiernae lux diei<br>Jesu Christi, nati Dei,<br>Fulget in memoria;              | 1 b. Decantemus ergo rei<br>Ob honorem nostrae spei<br>Laudes et praeconia.          |
| 2 a. Omnis homo supplex ora<br>Clara cernens hac in hora<br>Christi patrocinia;       | 2 b. Psalle, psallens cor dulcora,<br>Ut virtute sit decora<br>Laus et plena gratia. |
| 3 a. Ave, divus rex coelorum,<br>Nobis dans sancta sanctorum<br>Multis terris vescia; | 3 b. Effundata mens nostrorum,<br>Fac, ut fiat animorum<br>Tibi patri filia,         |
| 4 a. Florens sanguinis rubore,<br>Quem Judaea suo more<br>Fudit tenens in via.        | 4 b. Fusa lassos in labore<br>Nos conspergat coeli rore<br>Deitatis pluvia.          |
| 5 a. Salve, Christe, rex piorum,<br>Nos virtute capillorum<br>Tuorum irradiat;        | 5 b. Salve, Christe, fixus cruce,<br>Illustratos tua luce<br>Semper nos irradiat.    |
6. Placa patrem, ne reorum  
Mors nos laedat damnatorum  
Vel tempestas noxia;  
Amen dicant omnia.

Miss. ms. Palat. Vindobonen. 1839. saec. 15/16. — Zu 3 a, 3 und 3 b, 1  
ist Du Cange zu vergleichen; der reiche Reim in 5 a, 3 und 5 b, 3 hat  
vielleicht einem Schreibfehler an ersterer Stelle sein Entstehen zu verdanken.  
Auffallend ist 5 a, 2.

13. De Vulneribus Christi.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Culter, qui circumcidisti<br>Sacrosanctam carnem Christi,<br>Reseca nocentia,      | 1 b. Palmis caesa dulcis illa<br>Jesu Christi tu maxilla,<br>Doce nos humilia.    |
| 2 a. O quam sancta ligatura<br>Membra ligans solutura<br>Cunctorum supplicia,           | 2 b. Et columna, quae ligatum<br>Jesum tenes flagris datum,<br>Laxa nostra vitia. |
| 3 a. Virga caedens et flagellum,<br>Corpus laedens tam tenellum,<br>Seda nos laedentia; | 3 b. O sacra Christi corona,<br>Confer nobis vitae dona,<br>Affert coeli praemia. |
| 4 a. O crux sancta, crux beata,<br>Membris Christi exornata,<br>Cuncta fuga noxia.      | 4 b. O vos trini Christi clavi,<br>Glutinate nexu suavi<br>Mentis nostrae devia.  |

- 5 a. Artus per vos perforati  
Praestent velle, posse pati  
Nos hic quaeque tristia.
- 5 b. Sic martellum clavos urgens  
Sanat omne vulnus turgens  
Perfida flagitia.
- 6 a. Tolle verbi pravi letum,  
Os, cui fel praebet acetum  
Arundo in spongia,
- 6 b. O perfossum Christi latus,  
Amor cujus nobis datus  
Dura reddit suavia.
- 7 a. Cuncta Christi armatura,  
Nos exsolvas, ut futura  
Perfruamur gloria.
- 7 b. Eja decus beatorum,  
Jesu, salus peccatorum,  
Aufer nostra crimina
8. Per amaram passionem  
Sanguinisque effusionem,  
Per sacrata vulnera.

Miss. sec. notulam Dominorum Theutonicorum imp. Nurembergae s. a. —  
Vgl. Kehrein No. 46, das nach Ausweis seiner Quellen gar keine Sequenz  
ist, sondern ein Horarium, aus dem die obige Sequenz durch Auswahl gebildet.

#### 14. De facie Salvatoris.

- 1 a. Magnifica tua festa,  
Jesu Christe, nobis praesta,  
Colamus quotidie;
- 1 b. Hymnis, psalmis et cantibus,  
Magis sinceris mentibus  
Veneremur hodie.
- 2 a. Vultus tuus fulgidus,  
Honore dignissimus,  
Proponitur omnibus;
- 2 b. Quem turbae fidelium,  
Conventus humilium  
Dignis colunt moribus.
- 3 a. Laudantes non fastidiunt,  
Sed laudare plus sitiunt  
Tuam, Christe, faciem,
- 3 b. Cives sectantes coelibes,  
Cuncti et Dei supplices  
Laudem ferunt stabilem.
- 4 a. Praeclara formula,  
Vitae praeambula,  
Monstratur singulis,
- 4 b. Amat salubria,  
Confert utilia,  
Solvit a vinculis.
- 5 a. Effigies spectabilis,  
Jucunda et mirabilis,  
Benigna ineffabilis,  
Omnibus exorabilis.
- 5 b. Ad te cuncti passibiles  
Confugientes homines  
Tuum poscunt subsidium.  
Et salutis remedium.
- 6 a. Quo adjuti levius  
Mundi mala perferunt,  
Ob hoc tibi saepius  
Suas preces offerunt.
- 6 b. Hinc plura pericula  
Dante te effugiunt,  
Quos nec ulla jacula  
Te tuente offerunt.
- 7 a. Relictis sordibus  
Disponunt pectora,  
Votis et vocibus  
Jungentes opera  
Salutem adeunt.
- 7 b. Per exercitia  
Ornantes animas,  
Per beneficia  
Reddentes gratias  
Gaudia subeunt.



- |   |  |
|---|--|
| 8a. Quae olim multis est visa<br>Moesta et probris elisa,<br>Ecce apparet amoena,<br>Gratia et laude plena<br>Figura egregia. | 8b. Haec mortis ignominiam<br>Reduxit ad memoriam,<br>Ascensionis gloriam<br>Spondit post miseriam<br>Facies eximia. |
| 9a. O felix Veronica,<br>Mundi salus unica,<br>Peccatorum gaudium ;   | 9b. Ad te clamant singuli<br>Hujus vitae populi,<br>Ut dones solatium.   |
| 10a. Da famulari jugiter<br>Tibi et laudabiliter<br>Concordi jubilamine,<br>Devoto mentis carmine ;                           | 10b. Ut te videntes oculi<br>Nostri in fine saeculi<br>Luce fruantur sedula<br>In saeculorum saecula.                |

Miss. Misnense imp. s. l. et a. — 6b, 4 offendunt?

### 15. In Susceptione s. Coronae.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Si vis vere gloriari<br>Et a Deo coronari<br>Honore et gloria,            | 1b. Hanc coronam venerari<br>Studeas atque sectari<br>Portantis vestigia.            |
| 2a. Hanc coelorum rex portavit,<br>Honoravit et sacravit<br>Sacro suo capite, | 2b. In hac galea pugnavit,<br>Cum antiquum hostem stravit,<br>Triumphans in stipite. |
| 3a. Haec pugnantis galea,<br>Triumphantis laurea,<br>Tiara pontificis ;       | 3b. Primum fuit spinea,<br>Postmodum fit aurea<br>Tactu sancti verticis.             |
| 4a. Spinarum aculeos,<br>Virtus fecit aureos<br>Christi passicnis,            | 4b. Quae peccati spineos<br>Mortis aeternae reos<br>Adimplevit bonis.                |
| 5a. De malis colligitur<br>Et de spinis plectitur<br>Spinea perversis,        | 5b. Sed in aurum vertitur,<br>Quando culpa tollitur<br>Eisdem conversis.             |
| 6a. Jucunda mysteria<br>Sunt haec sed materia<br>Praesentis laetitiae         | 6b. Nobis est historia,<br>Qua potenter Francia<br>Coronatur hodie.                  |
| 7a. Hujus coronatio<br>Coronae susceptio,<br>Cujus festum agimus,             | 7b. Debito cum gaudio<br>Et anniversario<br>Honore recolimus.                        |
| 8a. Thesauro jam nobili<br>Tam desiderabili<br>Dives es effecta,              | 8b. Terra carens simili,<br>Carens comparabili,<br>Deo praedilecta.                  |
| 9a. Tria privilegia<br>Regna tibi alia<br>Subdunt in honore,                  | 9b. Fides et militia<br>Unctioque regia,<br>Quarum flores flore.                     |

- |  |   |
|--|---|
| <p>10a. Tibi, o urbs inclita,<br/>Omni laude praedita,<br/>Mater studiorum,</p> <p>11a. In Dei praeconium<br/>Totum confer studium,<br/>Totum cor appone</p> <p>12a. Jesu pie, Jesu bone,<br/>Nostro nobis in agone<br/>Largire victoriam,</p> | <p>10b. Est corona credita<br/>Et in te reposita,<br/>Urbs Parisiorum.</p> <p>11b. Quae Christi palladium<br/>Et sacrae sacrarium<br/>Facta es coronae.</p> <p>12b. Mores nostros sic compone,<br/>Ut perpetuae coronae<br/>Mercamur gloriam.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 831 A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 835 B. — Miss. ms. Parisiense saec. 14<sup>1</sup>/<sub>15</sub> Cod. Parisiens. 9441 C. — 6b, 2 patenter C. — 9a, 1 Tua privilegia. Die sechs ersten und die letzte Strophe dieser Sequenz hat Neale (Sequentiae ex missalibus etc. p. 165 sqq.) und nach ihm Daniel V, 186 gegeben; Str. 7—12 fehlen daselbst.

### 16. In Susceptione s. Coronae.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Regis et pontificis<br/>Diadema mysticis<br/>Honoremus laudibus,</p> <p>2a. In corona Domini<br/>Forma datur homini<br/>Pulchre necessaria;</p> <p>3a. Levitas arundinis<br/>Levis casus hominis,<br/>Cor natura labile;</p> <p>4a. Spina pungit cor elatum,<br/>Cor emollit induratum<br/>Pungens ex arundine;</p> <p>5a. Hanc coronam hodie<br/>Suae confert Galliae<br/>Rex misericordiae,</p> <p>6a. Dilatetur amplius<br/>Civitas Parisius,<br/>Galliae gymnasium,</p> <p>7a. Ludovice, rex Francorum,<br/>Sub te vigent antiquorum<br/>Regum diademata,</p> <p>8a. O rex regum, qui centenis,<br/>Sexagenis et tricenis<br/>Es corona gloriae,</p> | <p>1b. Jucundemur tropicis<br/>Canticis angelicis,<br/>Concordemus moribus.</p> <p>2b. Spina mortis stimulus,<br/>Sed coronae titulus<br/>Mortis est victoria.</p> <p>3b. Fert coronam spineam,<br/>Spinam arundineam<br/>Cor contritum humile.</p> <p>4b. Orbis orbis est coronae<br/>Vel unguentum vitae bonae<br/>Fragrans ex dulcedine.</p> <p>5b. Cujus testimonia<br/>Vera clamant omnia,<br/>Mundus et daemonia.</p> <p>6b. Et in sensum spiritus<br/>Transeat divinitus<br/>Literale studium.</p> <p>7b. Dum corona coronarum,<br/>Spina crucis, flos spinarum,<br/>Tua praefert scimata.</p> <p>8b. Hac corona nos corones<br/>Et illacum per hanc dones<br/>Post agonis stadia</p> |
|---|--|

### 9. Beata nobis gaudia.

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Mazarin. 422 (732) A. — Miss. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisiens. 1028 B. — Miss. ms. Autisiodorensis saec. 14. Cod. Parisiens. 17316. C. — Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod.

Parisiens. 865. D. — 6 a, 3 gignasium ABC. — 8 b, 2 Et illarum A; illatum BCD. — 8 b, 3 agonem B. — Die Sequenz findet sich völlig abweichend bei L. Gautier, Oeuvres poétiques d'Adam de Saint-Victor II, p. 500 sq., indem an Str. dieser Sequenz Str. 2 und 12 der Prose Si vis vere gloriari sich anschließen. Die ursprüngliche Form beider Sequenzen ist jedenfalls die hier mitgeteilte.

17. In Exaltatione sanctae Crucis.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Serpens antiquus<br>vicit in ligno  | 1b. Primo parenti<br>virus infundens.  |
| 2a. Quo claudicat dudum<br>in posteris<br>carnis successio  | 2b. Et colligit spinas<br>et tribulos<br>prona posteritas.   |
| 3a. Verum arcano<br>gratiae commercio<br>subvenit plasmator<br>protoplastum<br>reformans veterem.                   | 3b. Ligno contractum<br>primum Adam secundus<br>extendit in ligno,<br>in quo mortem<br>vita mortificat.                |
| 4a. Christi figuram aeneam<br>intuebatur populus<br>antiquus in ligno,  | 4b. Et intuentem populum<br>Christus venturus in carne<br>salvabat a morte.  |
| 5a. Hoc crucis trophaeum<br>praecessit crucem,<br>quod in ligno crucifigendi<br>crucifigendus agebat.               | 5b. Qui ferens in cruce<br>nostros languores<br>ovem, quam hostis abstulerat,<br>victor reportat humeris.              |
| 6a. Christe Jesu,<br>fili Dei athanatos,<br>qui unigenitus<br>theotocos<br>intactae virginis<br>passus es in cruce, | 6b. Dele culpam<br>et, quam pro culpa patimur,<br>afflictionem<br>corporis,<br>hagios o theos,<br>per virtutem crucis. |

Grad. ms. Hilariense CXLVIII saec. 13 A. — Miss ms. Cremitanense 373 saec. 14. B. — Miss. ms. Mellicense 1701 saec. 13. C. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. D. — Miss. ms. Millestadiense saec. 12. Cod. Virunens. (Hist. Verein f. Kärnten) 214 (6/35). E. — Miss. ms. S. Floriani XI 388 saec. 14. F. — Miss. ms. Slierbacense I 14 anni 1484. G. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgens. saec. 16. Append. post Miss. Roman. imp. Venetiis 1513. H. — Miss. Pataviense imp. 1503. I.

2 a, 1 Quod claudicat A. — 2 b, 1 Et colligens I. — 3 a, 1 arcanum B. — 3 a, 3 plasmato I. — 3 b, 2 secundum I. — 3 b, 5 vivificat I. — 4 b, 2 in carne venturus AI. — 5 a, 1 O crucis trophaeum AB. — 5 a, 3 crucifigendis F. — 6 a, 4 genitricis D. — 6 b, 3 und 4 haben je eine Silbe weniger als die Gegenzeile.

18. In festo Exaltationis s. Crucis.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Honor crucis dilatetur<br>Et devote celebretur<br>Ipsius laudatio, | 1b. Totus mundus jucundetur<br>Et in cruce gloriatur<br>Christiana natio. |
|--|---|

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Cruce Christus consecravit<br>Nos, cruore suo lavit<br>Perforatus lancea;      | 2b. Clavos in hac toleravit,<br>Sputa, fel et coronavit<br>Hunc corona spinea.     |
| 3a. Crucis per mysterium<br>Caritatis serium<br>Christus demonstravit,             | 3b. Cujus improprium<br>Vitam et imperium<br>Mundo reparavit.                      |
| 4a. Crux character spiritualis,<br>Virtus est sacramentalis,<br>Renatorum gloria,  | 4b. Medicina corporalis<br>Christianis et mentalis<br>Crucis est memoria.          |
| 5a. O crux, benedictum lignum,<br>Omni nempe laude dignum,<br>Salus es credentium. | 5b. Constantinus per hoc signum<br>Fugat hostes et malignum<br>Superat Maxentium.  |
| 6a. Adjuvit Heraclium,<br>Dum in ponte filium<br>Chosroë prostravit;               | 6b. Hostem hunc fidelium<br>Occidit et filium<br>Parvum baptizavit.                |
| 7a. Ave lignum pretiosum,<br>Fructum portans gratiosum,<br>Christum regem gloriae; | 7b. Quod despectum et probrosum<br>Fuit olim et poenosum,<br>Lignum fit victoriae. |
| 8a. In hoc Christus triumphavit,<br>Morte mortem superavit<br>Mortuos vivificans,  | 8b. Hoc infernum spoliavit,<br>Quos ibidem captivavit,<br>Secum hos glorificans.   |
| 9a. Laudes ergo dominico<br>Ligno demus cum cantico<br>Voce laeta,                 | 9b. Tactu cujus vivifico<br>Signa fiunt in publico<br>Non consueta.                |
| 10a. Hic patronam atque ducem<br>Habeamus Christi crucem<br>In valle miseriae,     | 10b. Ut post mortem carnis truce[m]<br>Valeamus veram lucem<br>Adipisci gloriae.   |

Grad. ms. S. Agathae in terra Cujk s. sign. anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15. Cod. Monasteriens. 199 (214) B. — Mel.: Dulce melos cum concentu.

### 19. De sancta Cruce.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Christi crucem veneremur<br>Et in cruce gloriemur,<br>Ut per crucem liberemur<br>Ab hostis incursibus;         | 1b. In qua mortem captivavit,<br>In qua vitam reparavit<br>Fortis gigas ille David<br>Dans pacem hominib <sup>us</sup> |
| 2a. In hac serpens exaltatus,<br>In hac botrus est allatus,<br>In hac vervex est oblatus<br>Signans hoc mysterium. | 2b. Gazae portis dum impegit,<br>Samson hostis regnum fregit<br>Et captivos sic redegit<br>Ad suum imperium.           |
| 3a. Per hanc aqua dulcoratur,<br>Per hanc princeps spoliatur,<br>Per hanc luctus amputatur,<br>Renovantur gaudia.  | 3b. Christe, servos tuae crucis,<br>Velut oves quos deducis,<br>Ad augmentum verae lucis<br>Transfer in coelestia.     |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. = Verbum bonum.

20. De sancta Cruce.

1. A solis ortu et occasu,  
ab aquilone et mari,  
Christe, laus sit tibi.

- |   |   |
|---|---|
| 2a. Quatuor per crucis cornua<br>viva pacis hostia,   | 2b. Quatuor per mundi climata<br>rumpens mortis vincula.  |
| 3a. Non tamen in omni homine,<br>sed in his tantum, qui te<br>credunt et fatentur<br>solum Deum.  | 3b. Quem clamant evangelia<br>quatuor Deum, missum<br>a patre, Dominum<br>Jesum Christum.   |
| 4a. Peccati destruis corpus,<br>qui Deus, suis quatuor<br>partibus quod construxit<br>diabolus.   | 4b. Quae sunt aspis, basiliscus,<br>et leo simul et draco,<br>quatruiduanae mortis<br>vocabula.   |
| 5a. Suggestio, delectatio,<br>consensus, consuetudo<br>mali, quibus perit homo.   | 5b. Quatuor quae crucis cornibus<br>affigens mortificas<br>tuae carnis vulneribus.  |
| 6a. His malis captivam Sunani-<br>tem animam<br>ecclesia<br>revocat ad te<br>quater dicens ei:  | 6b. Revertere, revertere, rever-<br>tere,<br>revertere,<br>despecta, crucis<br>notans quadrangulum.                                     |
| 7a. Hunc arctos et dysis,<br>anatoles, mesis notant,<br>quae suis in primis<br>Adam literis<br>signat nomine.   | 7b. Quem disseminatum<br>his quatuor plagis terrae<br>suis in filiis<br>ad te revocas,<br>bone crucifer.                                |
| 8a. Nam via crucis<br>quos ad te non trahis,<br>in quadrifida<br>nunquam lucis gaude-<br>bunt in patria.  | 8b. In cruce jungis<br>simul coelestia<br>et terrestria<br>per tuum sanguinem<br>cuncta pacificans.                                     |
| 9a. O benedictae,<br>dum tu maledictum<br>factus es pro nobis,<br>maledictus<br>nam omnis, qui pendet<br>in ligno, nos facis<br>de maledictis benedictos. | 9b. Te adorantes,<br>Jesu Nazarene,<br>rex Judaeorum,<br>in occulto,<br>non in manifesto<br>Judaei, qui tuo<br>imperio sunt intitulati. |
| 10a. Hanc tituli<br>inscriptionem,<br>inscriptam<br>nobis spiritu sancto<br>crucis caractere,   | 10b. Ne corrumpi<br>sinas in nobis<br>in finem,<br>tu finis sine fine,<br>Dei patris nate;  |

- |   |  |
|---|--|
| <p>11a. Cujus est imago<br/>regis et superscriptio,<br/>quae moneta nos,<br/>dragma, quam invenisti.</p> <p>12a. Dominus quorum tu<br/>sicut hominum,<br/>hinc quod Deus homo<br/>factus es.</p> <p>13a. Frumento et vino;<br/>stabilitus es nobiscum<br/>stauros in ara,</p> <p>14a. Corpore<br/>qui tuo et sanguine,<br/>quos devirginavit Satan,</p> | <p>11b. Quam inspicientes<br/>patriae cives supernae<br/>dignantur suos<br/>conservos cognoscere.</p> <p>12b. Angelum in coelo<br/>vitae confortans<br/>de morte hominem<br/>reparas</p> <p>13b. Panis angelorum,<br/>nos reficiens et vino<br/>germinas virgines.</p> <p>14b. Nos tuos<br/>revirgines, virginis<br/>fili, Deus benedicte,</p> |
|---|--|

15. Ut sinus revirginati  
cum sancto sancti.

Miss. ms. Slierbacense I 13 saec. 12. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479 B. — Grad. ms. Ottoburanum saec. 12. Clm. Monacens. 27130. C. — 1, 3 Laus sit tibi Christe B. — 2a, b patris hostia A. — 2b, 2 mortis pocula C. — 5a, 3 perit homo tribus A. — 5b, 1 Quatuor per crucis cornua A. — 6a, 1 Sunanitis A. — 8a, 3 quadrifidae A. — 9b, 1 Te adoramus A. — 11a, 3 qua monetas nos dragmam B. — 12a, 1 quorum es B. — 12a, 3 tu qui B; in quo C. — 14b, 3 Deus crucifixe C.

21. De sancta Cruce.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Aram crucis omnes lucis<br/>Adorate filii,</p> <p>2a. Agni sanguis hanc sacraivit,<br/>Praesul pacis hac piavit<br/>Crimen Adae veteris,</p> <p>3a. Hoc pependit, hoc tetendit<br/>Se salutis opifex,</p> <p>4a. Botro, vecte qui portatur,<br/>Botrus iste figuratur<br/>Ligno pendens<br/>Sed transcendens<br/>Omnem sensum hominis.</p> <p>5a. Signum crucis, donum lucis<br/>Terror hosti fit, si posti<br/>Fide sit illitum,</p> <p>6a. Ipsa crucis quadra forma<br/>Spiritali monstrat norma,<br/>Spes ut sursum sit in caelis,<br/>Mens profundo sit fidelis,<br/>Caritate dilatetur,<br/>Ferat longum, quo probetur.</p> | <p>1b. Qua damnatis datur gratis<br/>Spes et res auxilii.</p> <p>2b. Ligni fructus jam redemit,<br/>Ligni gustu quos peremit<br/>Mater nostri generis.</p> <p>3b. Hinc captivos reddit vivos<br/>Primae fraudis artifex.</p> <p>4b. Iste mortis tulit prelum,<br/>Liquor hujus pandit caelum,<br/>Dat virtutem,<br/>Dat salutem<br/>Fide sui nominis.</p> <p>5b. Cessat caedens, fugit laedens,<br/>Mors non nocet, qua se docet<br/>Domibus inditum.</p> <p>6b. Mortem vastat, coelum ditat,<br/>Hos relinquit, hos invitat,<br/>Hinc Judaeos, illinc gentes,<br/>Hos aversos, has credentes<br/>Crux tribunal judicantis,<br/>Factis aequa compensantis.</p> |
|---|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>7a. Per transversum duo ligna<br/>Dant alternae pacis signa,<br/>Pias mentes quas benigna<br/>Semper nectit caritas.</p> <p>8a. Regnum mortis jam decrescit,<br/>Regnum vitae conualescit,<br/>Sceptrum pacis late splendet,<br/>Ex quo pax in cruce pendet.</p> <p>9a. Mare sonet, aer tonet,<br/>Haerens ligno sub maligno<br/>Nunquam fluctu mergitur.</p> <p>10a. Agne Dei, cujus sanguis<br/>Dirum virus fugat anguis,<br/>Tuae crucis beneficio<br/>Nos ab omni sana vitio;</p> | <p>7b. Cruce praedo mundi perit,<br/>CruX hostiles vires ferit,<br/>CruX salutem mundo gerit,<br/>CruX est mundi claritas.</p> <p>8b. Orbis crucis per trophaeum,<br/>Credit unum verum Deum,<br/>Larvae ruunt idolorum,<br/>Fides pollet electorum.</p> <p>9b. Pandat velum, spectet coelum,<br/>Fides cruce fida duce<br/>Patriam pervehitur.</p> <p>10b. Tuum pneuma nobis dona,<br/>Nos illustra fide bona,<br/>Sanctae pacis reple gratia,<br/>Tui vultus luce satia.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 13. Cod. Graecens. 761 B. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456 C.

## 22. De sancta Cruce.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Laudemus creatorem,<br/>Qui fortis contra mortem</p> <p>2a. Dans hostiam sese salutarem,<br/>Ut hominem daret liberalem,</p> <p>3a. Redemit eum Deus ara crucis<br/>Et consortem fecit verae lucis,</p> <p>4a. Crucifixum adorando<br/>Crucem semper adamando,</p> | <p>1b. Crucis in angaria<br/>Calcavit torcularia.</p> <p>2b. Quem diabolus captivaverat<br/>Per gustum necis, quem obtulerat.</p> <p>3b. Cui laudes juges attollamus,<br/>Captivati quondam qui eramus</p> <p>4b. Per quam salus mundo fluxit,<br/>In humero dum revexit</p> |
|---|--|
5. Ovem perditam Dei filius,  
Qui per crucis victoriam  
Nobis sit propitius.

Miss. ms. Sancti Blasii saec. 12/13. Cod. Palat. Vindobon. 1909.

## 23. De sancta Cruce.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Laetabundus<br/>Exaltet fidelis coetus<br/>Crucis signum,</p> <p>2a. O crux admirabilis,<br/>Arbor una nobilis,<br/>Crucis signum,</p> <p>3a. Nos ab omni scoria<br/>Mundet in memoria<br/>Crucis signum,</p> | <p>1b. Totus mundus<br/>Exsultet cantando laetus<br/>Dulce lignum.</p> <p>2b. Fructus tuus utilis<br/>Et desiderabilis,<br/>Dulce lignum.</p> <p>3b. Constantini gloria<br/>Simul et victoria,<br/>Dulce lignum.</p> |
|--|--|

- |  |   |
|--|---|
| 4 a. Praestitit auxilium,<br>Ut fugaret impium,<br>Crucis signum,                | 4 b. Dum juxta Danubium<br>Effugat Maxentium,<br>Dulce lignum.                      |
| 5 a. Pugnanti cum impio<br>Adfuit Heraclio<br>Divina protectio<br>Crucis signum, | 5 b. Dum occidit gladio<br>Cosroë cum filio,<br>Detulit cum gaudio<br>Dulce lignum. |
| 6 a. O crux salutifera,<br>Arbor vivifica,<br>Tibi canimus<br>Alleluja.          | 6 b. Tu nos sanctifica<br>Et beatifica<br>In coelestibus<br>Cum gloria.             |

Grad. ms. S. Agathae s. sign. anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15. Cod. Monasteriens. 199 (214) B. — Mel. natürlich: Laetabundus.

#### 24. De sancta Cruce.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. O benignum crucis lignum,<br>Laudis omnis vere dignum,<br>In nostri defectus signum<br>Latum salutiferum.   | 1 b. Corde, voce hic applaude<br>Victa proditoris fraude<br>Plebs et psalle laeta laude<br>Clarum melodiferum.      |
| 2 a. Anguis suadet, homo mordet<br>Malum, malo mali sordet,<br>Morsu quem passus remordet<br>Arte cum simillima, | 2 b. Qui natus se mundo pandit,<br>Puro velle crucem scandit,<br>Crucis quadris se expandit<br>Ove pro centesima.   |
| 3 a. Est olivae, cypressinum,<br>Palmae lignum et cedrinum<br>Crucis genus hoc bis binum<br>Nullo visum nemore.  | 3 b. Manna, vinum, purga mentes<br>Signum crucis proferentes<br>Mundi fluctus per prementes<br>Vitae locans arbore. |

Grad. ms. S. Agathae s. sign. anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum Dusseldorpiens. saec. 15. Cod. Dusseldorpiens. D. 30. B. — Mel. = Verbum bonum.

#### 25. De sancta Cruce.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Gaude novo gaudio,<br>Crux sancta, quae proprio<br>Decoraris filio<br>Summi regis ; | 1 b. Tu glosa legalium,<br>Finis et initium,<br>Componens mysterium<br>Novae legis. |
| 2 a. Reorum supplicium<br>Quondam, nunc refugium<br>Nostrum et praesidium<br>Speciale.   | 2 b. Tu sigillum proprium<br>Regis et fidelium<br>In te confidentium<br>Generale.   |



- |   |   |
|---|---|
| <p>3a. Sputa, clavi, lancea,<br/>Livor, caro rubea<br/>Et corona spinea,<br/>Fel, arundo,</p> <p>4a. A morte nos inferi<br/>Et a culpa veteri<br/>Dives junctus pauperi<br/>Per te sanat,</p> <p>5a. Moestorum solatium,<br/>Robur laborantium,<br/>Vim repellens hostium<br/>Malignorum,</p> | <p>3b. Acetum et spongia<br/>Vexilla sunt regia,<br/>Lapso restaurantia<br/>Vitam mundo.</p> <p>4b. Dum ex ejus vulnere<br/>Perforato latere<br/>Sanguis, unda munere<br/>Sacro manat.</p> <p>5b. Per te Christi passio,<br/>Per quam fit remissio,<br/>Jungat nos consortio<br/>Angelorum.</p> |
|---|---|

Grad. ms. S. Agathae s. sign. anni 1512 A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15. Cod. Monasteriens. 199 (214) B. — Mel.: Plebs devota psallite oder Mariae praeconio.

### 26. De sancta Cruce.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Dulce lignum, lignum vitae<br/>Venerari convenite<br/>Salvi ligni pretio,</p> <p>2a. Ligno crucis fabricatur<br/>Arca Noë, qua salvatur<br/>Mundus a miseria,</p> <p>3a. Servos tuae crucis, Christe,<br/>Mundi maris duc per triste,<br/>Crucifer, naufragium,</p> <p>4a. Haec est virga, quae magorum<br/>Vorat hydras, quas eorum<br/>Fecere praestigia,</p> <p>5a. Mundi salus, fac serpentis<br/>Declinare nos nocentis<br/>Venena mortifera,</p> <p>6a. Aqua dulcis fit in Marah<br/>Nec ut prius est amara<br/>Ligni adminiculo,</p> <p>7a. Quod in nobis est amarum,<br/>Deus, dulce fac et sanum<br/>Tuae crucis gratia,</p> <p>8a. Crux est sacri stipitis<br/>Index anguis typicus,<br/>Quo pestiferis hominum<br/>Genus sanat morsibus.</p> <p>9a. Quae collegit duo ligna,<br/>Visitari fuit digna<br/>Prophetae praesentia,</p> | <p>1b. Hoc de ligno liquor fluxit,<br/>Virus mortis qui destruxit<br/>Nos solvens exitio.</p> <p>2b. Crucis ligna sunt signata,<br/>Quando prole conservata<br/>Ovis fuit hostia.</p> <p>3b. Nosque tibi, qui litatus<br/>Vivis, vivum fac placatus<br/>Fore sacrificium.</p> <p>4b. Haec utrumque signans postem<br/>Saevum domo fugat hostem<br/>Servans primogenita.</p> <p>5b. Et signatos tua cruce<br/>Ferientis nos a truce<br/>Defende saevitia.</p> <p>6b. Crux est virga, quae percussit<br/>Silicem bis et excussit<br/>Rivum vivum saeculo.</p> <p>7b. Educ fontem lacrimarum,<br/>Inspirator, de nostrarum<br/>Mentium duritia.</p> <p>8b. Christiani militis<br/>Parma, fulmen hostibus,<br/>Crux salus in periculis<br/>Dans triumphum regibus.</p> <p>9b. Haec sunt ligna crucis sanctae,<br/>Christus cibus, quo se dante<br/>Pascitur ecclesia.</p> |
|--|---|

- |   |   |
|---|---|
| <p>10a. Vere verus qui propheta,<br/>Qui bonorum dux et meta,<br/>Clemens tuae crucis laeta<br/>Suscipe praeconia;</p>                              | <p>10b. Quos ex limo procreasti,<br/>Quos in carne visitasti<br/>Et in ligno liberasti,<br/>Vultu tuo satia.</p>                                    |
| <p>11a. Carnem nostram sic confige<br/>Vitiisque crucifige,<br/>Signo Thau nos inscribe,<br/>Quae nociva sunt elide<br/>Regens in praesentibus,</p> | <p>11b. Ut compassi dum luctamur<br/>Et in lucta praegravamur,<br/>Conregnare mereamur,<br/>Pie Christe, te precamur,<br/>Tecum in coelestibus.</p> |

Miss. ms. S. Petri Salisburgens. a IX 11 saec. 12. A. — Miss. ms. S. Floriani III 208 saec. 12. B. — Miss. ms. Lincense 1 p 17 saec. 12. C. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. D. — Miss. ms. S. Floriani XI 390 saec. 13. E. — Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. F. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. G. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437. Clm. Monacens. 7550. H.

1 b, 2 Vires A. — 2a, 1 Signo crucis F. — 6a, 1 fit amara A. — 8a, 2 Judex F. — 8a, 3 Quo posteris A.

### 27. De sancta Cruce.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ave, praeclara<br/>crucis ara,<br/>pro mundi filio<br/>litando Dei parata.</p>  |   |
| <p>2a. Euge, clavis David,<br/>qua reseravit<br/>Cherubim sedato,<br/>romphea flammea cassa<br/>propulso coelum<br/>protoparenti.</p>   | <p>2b. Verus veri thronus<br/>crux Salomonis<br/>praelecta, in quo<br/>corrector orbis terrarum<br/>indutus carne<br/>Deus regnaret.</p>  |
| <p>3a. Te lignum vitae,<br/>praesignavit arca Noe,<br/>perituro salutis<br/>fore refugium<br/>unicum saeculo.</p>   | <p>3b. Te signum pacis<br/>videndo pacti foederis<br/>recordatur offensus<br/>irasci nesciens<br/>pater omnipotens.</p>   |
| <p>4a. Tu, dulce signum,<br/>anguem aeneum verum<br/>Israelitas<br/>igniti serpentis<br/>a morsu damnosa curans<br/>detulisti.</p>  | <p>4b. Tuque pharetra<br/>tensa venatione<br/>suavissima<br/>nos benedicienti<br/>filios Isaac summo<br/>obtulisti.</p>   |
| <p>5a. Te quondam obediens bajulus<br/>verus veri Abrahae filius,<br/>gessit humeris<br/>ipse maectandus,<br/>sed verbi impassivi vice en<br/>aries nostrae passibilis<br/>carnis sacrificatur<br/>haerens almae crucis vepribus.</p> | <p>5b. Hic botrus Cypri dilectissimus,<br/>delatus coelo Israelitis,<br/>solus torcular<br/>crucis calcavit<br/>amarae, ut electi sanguinem<br/>uvae bibant meracissimum.<br/>Jesu bone, nos illo<br/>potu vivifico recrea.</p> |

- |  |  |
|--|--|
| <p>6a. Fac dulce, marath<br/>quod in deserto<br/>lignum praemonstravit,<br/>crucis tuae<br/>meditatione<br/>disciplinae jugum<br/>et degustare<br/>tecum calicem<br/>contribulationis.</p> <p>7a. Salve, crux,<br/>Jesu tam sancto<br/>consecrata cruore.</p> <p>8a. Devoti cum Heraclio<br/>feramus in hoc saeculo<br/>crucis imaginem.</p> | <p>6b. Fac meabile,<br/>ne nos involvat,<br/>vorax mundi mare,<br/>decantare<br/>reconciliatos<br/>salutari semper<br/>et triumphali<br/>cruci cantica<br/>congratulationis.</p> <p>7b. Salva nos,<br/>pro nobis tanto<br/>decorata decore.</p> <p>8b. Qua stratus hostis jaceat,<br/>supernae nobis pateat<br/>porta Jerusalem;</p> |
|--|--|
9. Christianismi, Christe,  
cum veneris  
judicare  
mundum universum,  
tuoque crucis almae famulos  
fac munimine gaudere.

Grad. ms. S. Agathae anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15.  
Cod. Monasteriens. 199 (214) B. — Mel.: Ave praeclara maris stella. — 4a, 5  
obtulisti A. — 5b, 1 dulcissimus A. — 5b, 2 Israeli B.

### 28. De sancta Cruce.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Celebria solemnia<br/>Celebrat ecclesia,</p> <p>2a. Serpens quod aeneus<br/>Est erectus<br/>Ad adspectus,<br/>Crucis signat mysteria.</p> <p>3a. Crux scalae summitas<br/>Coelis par est,<br/>Descensus, ascensus<br/>Angelis hac est.</p> <p>4a. Cruce pendens hostia<br/>Mortis imperia<br/>Triumphavit;</p> <p>5a. Hostis subactus,<br/>Nam patri factus<br/>Placens Christus hostia.</p> <p>6a. Sanguine sunt signatae<br/>Domus, quae sunt salvatae,<br/>Angelus cum repente<br/>Vastaret omnia.</p> | <p>1b. Gaudet, quia sunt omnia<br/>Plena crucis gloria.</p> <p>2b. Nam rebus typicis<br/>Inumbrata,<br/>Revelata<br/>Crux claruit in gloria.</p> <p>3b. Crux coeli civibus<br/>Aequat ima,<br/>Cum primis ut prima<br/>Sunt novissima.</p> <p>4b. Anguis suo sanguine<br/>Purgans a crimine<br/>Mundum lavit.</p> <p>5b. Hac sublimatus<br/>Et immolatus<br/>Ad se traxit omnia.</p> <p>6b. Reserat undas maris<br/>Crux ligni salutaris<br/>Moyse dividente<br/>Cedunt maria.</p> |
|--|--|

- |  |  |
|--|--|
| 7a. Coccina prodita<br>Raab non fuit perdita,  | 7b. Firmo sed vinculo<br>Dei juncta cum populo.  |
| 8a. Res mutavit vices,<br>Undas silices<br>Dant et aquae dulcorantur<br>Lignoque sanantur. | 8b. Plebs, pestifera<br>Clade libera,<br>Caedibus non est oppressa,<br>Thau quibus impressa. |
| 9a. Crux Romanis<br>Dedit ducibus<br>Victoriam.  | 9b. Thraces, Medos,<br>Persas subdit<br>Et Indiam.   |
| 10a. Romae naves mersit<br>Cum duce Maxentio.  | 10b. Crux triumphos dedit<br>Nobiles Heraclio,   |

11. Crux salus aeterna,  
Pax superna.

Grad. ms. S. Agathae anni 1512. A. — Grad. ms. Crucigerorum saec. 15.  
Cod. Monasteriens. 199 (214) B. — 5b, 1 et sqq. fehlen B. 2a, 3 ad con-  
spectus B.

29. In Paschate.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Haec est dies,<br>quam fecit pater<br>Christi perennis.                 |  |
| 2a. De Styge<br>qua redit sol verus.                                       | 2b. Nunc omnes<br>laetemur in ea.  |
| 3a. In ea nam pascha nostrum<br>Christus immolatus est<br>pro nobis.       | 3b. Qui simul hostia fuit<br>et sacerdos et regum<br>rex solus.                  |
| 4a. Cujus triumpho solvimur<br>vinculis tartarei<br>saevi tyranni.         | 4b. Cujusque dante gratia<br>filii Dei patris<br>esse valemus.                   |
| 5a. Epulis hodie<br>paschamur,<br>quas non inflet<br>vetus fermentum.      | 5b. Azimae sed fiant<br>et miti<br>veritatis<br>melle sincereres.                |
| 6a. Te nunc poscimus,<br>omnium Deus<br>exercituum<br>et perpes imperator, | 6b. Ut nos facias<br>per tuum natum,<br>mortis victorem,<br>victores barbarorum. |
| 7a. Et quem sancta celebrat<br>jugiter melodiis<br>laus angelorum,         | 7b. Non nos vetet etiam<br>rabies perfida te<br>semper laudare,                  |

8. Trine et indivise  
Domine.

Miss. Ratzeburgense imp. s. l. et a. A. — Miss. Brandenburgense imp.  
Nurembergae 1494. B. — 1, 1 Haec dies est B. — 3b, 2 rex regum A. —  
4a, 2 vinclis A. — 6b, 4 weist auf die Zeit der Slavenkriege.

30. In Festo Paschatis.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Morte Christi celebrata<br>Adest nobis dies grata,<br>Comedamus azima,             | 1b. Rege victo tenebrarum<br>Ritus perit victimarum<br>Et est Christus victima.  |
| 2a. Sacerdotis manus tractat,<br>Quem crudelis lictor mactat<br>Et plebs mali conscia, | 2b. Morti datur homo Deus.<br>Ut resurgat homo reus<br>Ad aeterna gaudia.        |
| 3a. Mors illius nostra vita,<br>Ejus morte mors avita<br>Jam meretur veniam;           | 3b. Nunc in illo delectare.<br>Qui est bonum singulare,<br>Rex apponat gratiam.  |
| 4a. Pascha novum immolatur,<br>Et peccator invitatur<br>Ad tergendas maculas,          | 4b. Morte Christi nos renati,<br>Properemus invitati<br>Ad coelestes epulas.     |
| 5a. Ovis ducta ad macellum<br>Nostrum in se tulit bellum<br>Ovem quaerens perditam,    | 5b. Gigas noster hostem stravit<br>Humerisque reportavit<br>Ovem sibi redditam.  |
| 6a. Qui sub morte tenebantur,<br>Vita duce liberantur,<br>Nuda gemunt tartara.         | 6b. Homo gaude sic reductus,<br>Consoletur tuus luctus<br>Dulci sono, cithara.   |
| 7a. Samson ille Gazam vastat<br>Et in monte crucis astat<br>Secum ferens spolia,       | 7b. Agnus noster portas fregit<br>Infernales et subegit<br>Regna mortis fortia.  |
| 8a. Israellem in Aegypto<br>Pharaone circumscripto<br>Serpens salvat aeneus,           | 8b. Sponsam suam ab inferno<br>Regno locans et superno<br>Noster traxit Orpheus. |
| 9a. Eia paschalia<br>Recolamus gaudia,   | 9b. Nimia laetitia<br>Concrepet ecclesia.  |
| 10a. Nunc in mensa vitae ducis<br>Commedamus cum lactucis<br>Carnes agni mysticas,     | 10b. Toleremus et amara<br>Possessuri luce clara<br>Mansiones coelicas.          |
| 11a. Haec est, inquam, laeta dies,<br>Animarum grata quies<br>Et quam fecit Dominus;   | 11b. Exsulemus promissorum<br>Quantitatem praemiorum<br>Recepturi cominus.       |
| 12a. Sit laus Christo resurgenti,<br>Deo vivo et viventi<br>Per aeterna saecula;       | 12b. Eapropter mente pia<br>Decantemus Alleluia<br>Cordis voce sedula.           |

Trop. ms. S. Martialis. Lemovicens. saec. <sup>12/13</sup> Cod. Paris 1139. — 6a, 3 demunt. — 6b, 1 gaude si. — 7b, 2 Infernalis. — 10a, 1 Huic in mensa.

31. De Paschate.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Illuxit dies,<br>quam fecit Dominus,<br>mortem devastans<br>et victor suis apparens<br>dilectoribus vivus. | 1b. Primo Mariae,<br>dehinc apostolis,<br>docens scripturas,<br>cor aperiens, ut clausa<br>de ipso reserarent. |
|--|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>2a. Favent igitur<br/>resurgenti<br/>Christo cuncta gaudiis,<br/>flores, segetes<br/>redivivo<br/>fructu vernant<br/>et volucres gelu tristi<br/>terso dulce jubilant.</p> <p>3a. Ergo die ista<br/>exsultemus,<br/>qua nobis viam vitae<br/>resurgens<br/>patefecit Jesus.</p> | <p>2b. Lucet clarius<br/>sol et luna,<br/>morte Christi turbida,<br/>tellus herbida<br/>resurgenti<br/>plaudit Christo,<br/>quae tremula ejus morte<br/>se casuram minitat.</p> <p>3b. Astra, solum, mare<br/>jucundentur<br/>et cuncti gratulentur<br/>in coelis<br/>spiritalis chori</p> |
|--|--|

5. Tonanti.

Miss. ms. Raitenpuchense saec. 15. Clm. Monacens. 12204 A. — Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. B. — 2a, 7 gelu Christi B. — 2b, 7 tremulae A. — 2b, 8 causuram A; minitant AB. — 4a, 2 jucudent B.

32. Feria III. Paschatis.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Cantu Christo diligenti<br/>Jubilemus, qui redempti<br/>Sumus ejus sanguine;</p> <p>2a. De coeli missum solio<br/>Verbum sine principio<br/>Factum est in tempore,</p> <p>3a. Hic est agnus ille Dei,<br/>Quo justificantur rei,<br/>Agnus inquam, quem Hebraei<br/>Immolant ad vesperum.</p> <p>4a. Ara crucis immolatur<br/>Haec salutis hostia,<br/>In sepulchro collocatur,<br/>Surgit die tertia,<br/>Miser homo reparatur<br/>Data sibi venia.</p> <p>5a. Princeps mortis quondam fortis<br/>Dum in pace fuerat,</p> <p>6a. O triumphus inennarrabilis,<br/>De superbo triumphans humilis<br/>Distribuit spolia.</p> <p>7a. Mira coelum laude sonat,<br/>Mira namque Christus donat<br/>Hominibus munera,</p> | <p>1b. Qui, cum patri sit aequalis<br/>Deus, fieri mortalis<br/>Voluit pro homine.</p> <p>2b. Vivificatur moriens,<br/>Jam mortem subit Oriens<br/>Pro mundi facinore.</p> <p>3b. Cujus cruor munit postes,<br/>Ut salventur inter hostes,<br/>Qui post dies Pentecostes<br/>Nil sentiant asperum.</p> <p>4b. O quam lignum pretiosum,<br/>Quo mors mortem diluit,<br/>O sepulchrum gloriosum,<br/>In quo vita jacuit,<br/>Dum infernum tenebrosum<br/>Frangens suos eruit.</p> <p>5b. Fortioris vincit loris<br/>Perdit, quos possederat.</p> <p>6b. Victor mortis solutis legibus<br/>Redit suis receptus sedibus<br/>Ad patrem cum gloria.</p> <p>7b. Carnem diu captivatam<br/>Hoste victo liberatam<br/>Locat super aethera.</p> |
|--|---|

- |   |   |
|---|---|
| <p>8a. Te rogamus ergo, Christe,<br/>Ut repellas, quidquid triste<br/>Suggerunt carnalia;</p> | <p>8b. Fac concives angelorum,<br/>Regna nobis dans coelorum<br/>Et aeterna gaudia.</p> |
|---|---|

Grad. ms. Capit. Olomucens. 195 saec. 14. A. — Miss. ms. Capit. Olomucens. 50 saec. 15. B. — Miss. ms. Olomucense saec. 15. Cod. bibl. publ. I. I. 6. C.

### 33. Feria V. Paschatis.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Angelica reboat<br/>symphonia</p> <p>2a. Rex Sabaoth morte victa<br/>victor dum redit<br/>ad superna,</p> <p>3a. Occurrit palatinus<br/>grex tympanizans Alleluja,</p> <p>4a. Supera,<br/>media<br/>et ima applaudant Domino<br/>cantica.</p> <p>5a. Placeantque tibi,<br/>quaesumus,<br/>famulorum cantica,</p> <p>6a. Tu nostra relaxans<br/>pectora</p> | <p>1b. Alogiens nimium<br/>laetabunda,</p> <p>2b. Et captivata caterva<br/>felix penetrat<br/>poli ampla.</p> <p>3b. Cherubim coetus omnis<br/>plebs ac Jerosolymitana.</p> <p>4b. Et nostra<br/>te, Christe,<br/>concrepent affabre tinnula<br/>tympana.</p> <p>5b. Quatenus te pium<br/>videre<br/>mereamur in aethra.</p> <p>6b. Uranica donans<br/>gaudia</p> |
|---|---|

### 7. Pollens per saecula cuncta.

Trop. ms. Nivernense saec. 11. Cod. Parisiens. 9449. A. — Antiph. et Grad. Nivernense saec. 12. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 1235. zweimal B. C. — Mel. = Praefulgida dicitio. — 2a, 1 morte vita A. — 3b, 2 plebs ab. A. — 4b, 1 sq. Te nostra te Christe C. — 5b, 3 in aethera. B.

### 34. De Ascensione DX.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Ecce novum gaudium,<br/>In quo pater omnium<br/>Ad coeli palatium<br/>Transfert unigenitum.</p> <p>2a. O mira solemnitatis,<br/>In qua diva caritas<br/>Pandit, quae sit trinitas,<br/>Quaeva diva unitas,</p> | <p>1b. Quem de pura virgine<br/>Sub humana specie<br/>Mediante pneumate<br/>Genuit deifice.</p> <p>2b. Dum pater in filio<br/>Et sancto paraclito<br/>In coeli propatulo<br/>Lucet absque nubilo.</p> |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| <p>3a. Hinc sanctorum animae,<br/>Hinc voces angelicae<br/>Psallunt dulci carmine:<br/>Laus sit tibi, Kyrie.</p> <p>4a. Ibi lux et claritas,<br/>Splendor et amoenitas,<br/>Mentium tranquillitas<br/>Et amoris puritas.</p> <p>5a. Amor et benignitas<br/>Et bonorum largitas,<br/>Olfactorum suavitas<br/>Et optata castitas.</p> <p>6a. Hic sanctus sanctorum<br/>Choris angelorum<br/>Nec non electorum<br/>Dat locum locorum.</p> | <p>3b. Nulla mens concipere<br/>Potest nec vox promere,<br/>Quantae sint deliciae<br/>In domo tua, Domine.</p> <p>4b. Gaudiorum unitas,<br/>Voluptatum paritas,<br/>Cordium jucunditas<br/>Et miranda caritas.</p> <p>5b. Laudum assiduitas,<br/>Odiorum raritas,<br/>Sanitatum sanitas,<br/>Horum perpetuitas.</p> <p>6b. Ibi canticorum<br/>Cantum dant sonorum<br/>Ante suum thorum<br/>Saeclis saeculorum.</p> |
|--|--|

7. O pater ingenite,  
Fili unigenite.

Chm. Monacens. (ol. S. Emmerami) 14926. saec. 15. Mit Mel. — 1 a, 2  
In qua Hs. — 6b, 3 suum thronum Hs.

35. In festo Pentecostes.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. In valle miseriae<br/>Jucundetur hodie<br/>Novis donis gratiae<br/>Cor cum ore,</p> <p>2a. Lex quod vetus tacuit,<br/>Ipsos loqui voluit,<br/>Quos in linguis imbuit<br/>Lex amoris.</p> <p>3a. Orbis mox in spatio<br/>Verbo fantur vario<br/>Super testimonio<br/>Salvatoris;</p> <p>4a. Mirabilis facula,<br/>Quae succendit saecula<br/>Pia per spiracula<br/>Gratiarum.</p> <p>5a. Veni, sancte spiritus,<br/>Nobis sis paraclitus,<br/>Nos ut mundes funditus<br/>A peccatis.</p> | <p>1b. Dum linguarum specie<br/>Replet ignis sacie<br/>Doctores ecclesiae<br/>Novo more.</p> <p>2b. Nam indoctos docuit,<br/>Ut repente sonuit,<br/>Quod in monte tonuit<br/>Lex timoris.</p> <p>3b. Fervent desiderio,<br/>Frui Dei filio,<br/>Gaudent de supplicio<br/>Vi amoris.</p> <p>4b. Dissolvit piacula,<br/>Exclisit umbracula,<br/>Detexit oracula<br/>Prophetarum.</p> <p>5b. Deitatis digitus<br/>Amor summe placitus,<br/>Nos fac frui coelitus<br/>Cum beatis.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Strigoniense saec. 15. Cod. bibl. publ. Salisburgens. V 1 B  
23. A. — Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. B. — 1 a, 4 Cor et A. —  
4a, 4 fehlt B. — 4b, 3 Detersit A.



36. Feria IV Pentecostes.

1. Christe, Salvator,  
Jesu, El, Alpha  
et  $\Omega$ , eja.
- 2a. Elohim, Elohe,  
Adonai, Sabaoth, Ia.
- 2b. Sadai, Robustus,  
Kyrios, Elom, Fortis, Vita.
- 3a. Tetragrammaton,  
Joth, Vau, Het,  
Deus, Dominus, Via.
- 3b. Sol, Eje, Eser,  
Messias,  
qui est Soter, Veritas.
- 4a. Unctus homo, Usion,  
Excelsus, Imago,  
Magister, Figura.
- 4b. Mediator, Brachium,  
Os, Verbum, Sacerdos,  
Manus, Flos, Propheta.
- 5a. Primogenitus, Invisibilis,  
Principium, Mons, Lapis,  
Aries, Aquila.
- 5b. Emmanuel, Agnus, Ovis,  
Hoedus,  
Vitulus, Leo, Serpens,  
Fundamentum, Petra.
- 6a. Panis, caro, vitis, ostium,  
Sapientia.
- 6b. Lux, Splendor, Vitis, Oriens,  
Fons,  
Veritas, Janua.
- 7a. Incorrumpibilis, Aeternus,  
Immortalis, Incommutabilis,  
Gloria.
- 7b. Impossibilis, Summus, Bonus,  
Unigenitus, Virtus, Oriens,  
Trinitas.
- 8a. Imploramus  
supplices humiles  
ab universis  
majestatem tuam maximam
- 8b. Insidiis  
defende zabuli  
nosque custodi,  
ut semper tua praeconia
- 9a. Referentes, denique  
exsultantes laudibus  
poli excelsa
- 9b. Conscendere, gaudere  
in sanctorum civium  
ibi agmina,
- 10a. Caritate jucunda  
perfrui mereamurque  
in gloria,
- 10b. Gratulanter te Deum  
cernentes adoremusque  
in gloria.
11. Laus tibi, honor  
atque virtus  
sit per infinita,  
Amen, saecula.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 11508.

37. De corpore Christi.

- 1a. Laureata plebs fidelis,  
Sacramenta Christi carnis  
Sume, regis gloriae,
- 1b. Qui cum regnans sit in caelis,  
Cum effectu suae mortis  
Se praebet quotidie.

- |   |  |
|---|--|
| <p>2a. Ut pretium pro peccatis<br/>Fiat virtus passionis<br/>Et augmentum gratiae,</p> <p>3a. Hoc signavit vitae lignum<br/>Melchisedech panem vinum,<br/>Ut placaret trinum-unum,<br/>Offerens altissimo;</p> <p>4a. Et hoc quidem designavit<br/>Agnus sine macula,<br/>Quem edendum immolavit<br/>Quondam lex Mosaica.</p> <p>5a. Caro cujus tam serena<br/>Nobis esca fit amoena<br/>Fidei mysterio,</p> <p>6a. Esca fuit temporalis<br/>In deserto datum manna,<br/>Christus panis est perennis<br/>Dans aeterna gaudia.</p> <p>7a. Hic et esus pauperum,<br/>Nullum quaerens pretium<br/>Sed mentes fidelium,<br/>Pacis praebens copiam.</p> <p>8a. Vitae via, lux perennis,<br/>Satians refectio,<br/>Christe, confer vitam nobis<br/>Hoc sacro convivio.</p> <p>9a. Vive panis, vivax unda,<br/>Vera vitis et fecunda,<br/>Vitae da subsidia,</p> <p>10a. Jam effectus tuae mortis<br/>Nos emundet a peccatis<br/>Per missae mysteria;</p> <p>11a. Jesu, decus angelorum,<br/>Spoliator infernorum<br/>Humili victoria,</p> | <p>2b. Missa confert ista nobis;<br/>Ergo digne fit solemniss<br/>Missae cultus hodie.</p> <p>3b. Aser quoque pinguis panis<br/>Delicias dans regibus,<br/>Nam regalis est hic cibus<br/>Pane sacratissimo.</p> <p>4b. Agnus legis jam cessavit,<br/>Supervenit gratia,<br/>Christi sanguis dum manavit<br/>Mundi tollens crimina.</p> <p>5b. Quam proinde manna caeli<br/>Figuravit Israeli<br/>Nobili praesagio.</p> <p>6b. Hic est panis salutaris,<br/>Per quem datur vita nobis,<br/>Hic est calix specialis,<br/>Cujus potus gratia.</p> <p>7b. O dulce convivium<br/>Supernorum civium,<br/>In terris viaticum<br/>Nos ducens ad patriam.</p> <p>8b. Ut aeterno cum supernis<br/>Perfruamur gaudio,<br/>Quod ostendet deitatis<br/>Manifesta visio.</p> <p>9b. Sic nos pasce, sic nos munda,<br/>Ut a morte nos secunda<br/>Tua salvet gratia.</p> <p>10b. Summae templum trinitatis,<br/>Sempiternam confer nobis<br/>Gloriam in patria.</p> <p>11b. Honor coeli, lux sanctorum,<br/>Salus mundi, fons bonorum,<br/>Tibi laus et gloria.</p> |
|---|--|

Grad. ms. S. Petri Salisburgens. a VII 20 saec. 14. add. saec. 14. A. — Hymn. et Sequent. S. Emmerami saec. 15. Cod. Monacens. 14667. B. — Cfr. Miss. Frisingense imp. 1579. — Str. 9 sqq. fehlen A, dieselben sind ausradiert, um die Sequenz Mundi renovatio nachtragen zu können. — Die Str. 9 und 11 erregen durch abweichende Behandlung des Reims den Verdacht der Interpolation; indessen ist Ähnliches auch schon in Str. 4 u. 5 zu beobachten, bei denen indes der Gedankengang eher für als gegen die Echtheit spricht, während bei Str. 9 und 11 das Gegenteil der Fall ist. Alles in allem bleibt die Sache eben zweifelhaft. — 1a, 2 carnis Christi B. — 3b, 1 pinguis cibus AB. — 5a, 1 Caro ejus A. — 6b, 2 nobis vita B.

### 38. De Corpore Christi.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Nunc, fideles, jubilate<br>Tota mentis puritate<br>Praeclara solemnitate<br>Dominici corporis,             | 1 b. Cujus alma caro cibus,<br>Sanguis sacer potus, quibus<br>Satiata digne tribus<br>Sordes linquit pectoris. |
| 2 a. Hoc coeleste condimentum,<br>Vitae fons et fulcimentum,<br>Virtutum fert incrementum<br>Pie degustantibus. | 2 b. Illos morbus non enervat,<br>Esus iste quos conservat<br>Et victores coacervat<br>Coelicis agminibus.     |
| 3 a. In hoc quidem sacramento<br>Sumitur, ita memento,<br>Qui sub nostro tegumento<br>Natus fuit virgine;       | 3 b. Christus Deus, homo verus,<br>Vivus, integer, sincerus,<br>Cujus cum populo clerus<br>Illustretur lumine. |

Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309. — Mel. jedenfalls Verbum bonum.

### 39. De ss. Sacramento.

#### 1. Victimae perenni laudes immolant Christiani.

- |  |  |
|--|--|
| 2 a. Quam solemnns hostia<br>Deo, cujus gratia<br>Reconciliantur<br>peccatores;                              | 2 b. Cujus caro Domini<br>Cibus, potus homini<br>Fiunt, ut his Deo<br>regnet vivus.                            |
| 3 a. Hostia tam pia<br>Dux sit nobis in via,<br>Ut his pasti sacramentis<br>Cives simus Christi resurgentis. | 3 b. Angeli coelestes<br>Sacramenti sunt testes,<br>Quod non est opus humanum<br>Sed Dei virtus atque arcanum. |
| 4 a. Credendum est in hoc soli<br>fidei veraci<br>Non sophistarum<br>verbo fallaci.                          | 4 b. Pastor bone, panis vitae,<br>nos pasce, tuere<br>Plebique tuae<br>tu miserere.                            |

Miss. ms. S. Nicolai de Campis saec. 14. Cod. Parisiens. 17314. add. saec. 15. — Mel. selbstverständlich Victimae paschali.

### 40. De ss. Sacramento.

#### 1. Victimae corporis Christi dent laudes Christiani

- |  |   |
|--|---|
| 2 a. Et sanguinis ejus,<br>Quo nos innocens patri<br>Reconciliavit<br>peccatores.                            | 2 b. Mortem vincens, vitam praebens<br>In coeli hierarchia<br>Collocat dextra nos<br>in paterna.        |
| 3 a. Hoc corpus verendum<br>Et sanguinem mysticum<br>Reliquit nobis colendum<br>Et mundo corde percipiendum. | 3 b. Angelicâ vita<br>Per haec nobis reddita,<br>Si corpus rite sumatur<br>Et calix ejus digne bibatur. |

- |   |  |
|---|--|
| <p>4a. Istud corpus salvificum<br/>Et sanguinem vivificum<br/>Glorificemus<br/>et pure tractemus,</p> | <p>4b. Ut possimus vita frui<br/>Et corporis in gloria<br/>Jesum videre<br/>et conregnare.</p> |
|---|--|

Miss. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacens. 24002. A — Miss. ms. Benedictin. anni 1510. Cod. Palat. Vindobonens. 1871 B. — 2a, 1 Et sanguis A. — 2b, 1 Überschuß von einer Silbe. — 3a, 3 Relinquent B. — 3b, 1 sq. Angelicam vitam . . . redditam AB. — 3b, 3 Sic AB. — Mel. natürlich Victimae paschali.

#### 41. In Dedicacione ecclesiae.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Laetabundus<br/>Exsultet fidelis chorus<br/>Coeli curiae,</p>                           | <p>1b. Cum jucundus<br/>Ornatur reginae thorus<br/>Regi gloriae.</p>                             |
| <p>2a. In tali connubio<br/>Nubit lappa lilio,<br/>Soli stella,</p>                            | <p>2b. Cum miro consortio<br/>Animae fit unio<br/>Dei cella.</p>                                 |
| <p>3a. Celebrantur hodie<br/>Christi et ecclesiae<br/>Castae nuptiae,</p>                      | <p>3b. Sicut jungit spiritum<br/>Homo Deo subditum<br/>Jugo gratiae.</p>                         |
| <p>4a. In hoc patrimonio<br/>Caro Dei filio<br/>Nupsit nobili,</p>                             | <p>4b. Ipse vero filius,<br/>Summus et eximius<br/>Cessit humili.</p>                            |
| <p>5a. Ima summus petiit<br/>Et sponsam expetiit,<br/>Quam de nigra gestiit<br/>Candidare;</p> | <p>5b. Fecit, quod disposuit,<br/>Quia foedam potuit,<br/>Quando sibi placuit,<br/>Emundare.</p> |
| <p>6a. Ancilla, propera,<br/>Ut fias libera<br/>Cum viro regnans<br/>sceptigera.</p>           | <p>6b. Sponsum considera,<br/>Quem velat littera,<br/>Ipsium revelat<br/>fides vera.</p>         |

Miss. ms. Sarisberienae saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. sign. A. — Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14667 B.

#### 42. In Dedicacione ecclesiae.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Haec est domus Domini,<br/>Consecrata nomini<br/>Creatoris omnium;</p>          | <p>1b. Haec in scala panditur,<br/>In qua sursum scanditur<br/>Juxta Jacob somnium.</p> |
| <p>2a. Ad hanc gentes confluent,<br/>In hac dona defluunt<br/>Spiritualis gratiae,</p> | <p>2b. Panem, quem hic edimus,<br/>Christi carnem credimus,<br/>Qui saginat satie.</p>  |
| <p>3a. Hic coeleste poculum<br/>Salutari populum<br/>Sacrat oblectamine,</p>           | <p>3b. Angeli concivium<br/>Celebrant convivium<br/>Pio visitamine.</p>                 |

- |  |   |
|--|---|
| <p>4a. Hic, quod pie petitur,<br/>Largiente metitur<br/>Deo nihilominus,</p> <p>5a. Laus usiae simplici,<br/>Sed personae triplici<br/>Jugiter hic panditur;</p> | <p>4b. Hic quaesitor reperit<br/>Coeli lumen, aperit<br/>Hic pulsanti Dominus.</p> <p>5b. Hic in Dei gloria<br/>Patriae memoria<br/>Mens devota tangitur.</p> |
|--|---|

Miss. ms. S. Galli 337 b. saec. 15. A. — Miss. Curiense imp. 1497 B. —  
Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus. — 2a, 2 deplunt B. — 4a, 3 Deo  
fehlt B. — 4b, 1 quaesita B. — 5b, 1 Sic in Dei B.

### 43. In Dedicacione ecclesiae.

#### 1. Concinens jubila, concio socia,

- |   |  |
|---|--|
| <p>2a. Laudesque canora<br/>modulando musica</p> <p>3a. Quae hodie sacrata<br/>illi, quem nulla</p> <p>4a. Jam esse Christiana<br/>templum Dei agmina,</p> <p>5a. Quod per se majestas ipsa<br/>dedicat altissima,</p> <p>6a. Flamine facit<br/>proprio flammantia</p> <p>7a. Ut his lapidibus<br/>vivis una<br/>templi surgat machina,</p> <p>8a. Haec est illa<br/>Hierusalem sancta<br/>de coelo descendere visa</p> <p>9a. Quae Christi est corpus,<br/>civitas,<br/>domus, templum et sponsa,</p> <p>10a. Quibus angelica<br/>turma consocia<br/>perficietur<br/>domus illa coelica,</p> <p>11a. Gaudeant nostra intima<br/>atque pro tanta gratia<br/>largitori obnoxia<br/>obnixè<br/>grata rependant debita.</p> <p>12a. Ergo, bone rex, in dextra<br/>patris beata<br/>Christe regna tenes, quae casta</p> | <p>2b. Suave sonora<br/>fac haec penetralia.</p> <p>3b. Fata claudunt, gaudia<br/>innuunt nostra</p> <p>4b. Dicta apostolica<br/>comprobant veracia.</p> <p>5b. Cum fide purgans sincera<br/>humana praecordia</p> <p>6b. Invicem vera<br/>caritatis copula.</p> <p>7b. In quo de singulis<br/>complacita<br/>viva fragret hostia.</p> <p>8b. Tamquam sponsa<br/>viro adornata,<br/>quae est et virgo ecclesia.</p> <p>9b. Justus quisque membrum,<br/>hostia,<br/>lapis, proles, incola.</p> <p>10b. Cujus familia<br/>Deum in saecula<br/>Laudando vivet<br/>largitori obnoxia.</p> <p>11b. Pangat igitur vox nostra,<br/>ut laudum reddendo vota<br/>simul cum patre devota<br/>plena jam<br/>coepta copiamus dona.</p> <p>12b. Sponsa tibi parit tua,<br/>tecum superna<br/>haecreditate nobilita.</p> |
|---|--|

- 13a. Ut quos fides vera  
    coaedificat una,  
13b. In eis gloria  
    perpes habitet tua  
14. Amen, fiat, Alleluja.

Miss. ms. Beccense saec. 13. Cod. Parisiens. 1105. Mit Mel.

44. Diebus dominicis.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Stans a longe publicanus<br>Flectit genu, cor et manus<br>Erigit ad supera,    | 1b. Parce, inquit, mihi Deus;<br>Sese jactat Pharisaeus<br>Stans ex parte altera. |
| 2a. Sed pensator meritorum<br>Deus, qui solus scit, quorum<br>Misereri debeat,     | 2b. Non audito Pharisaeo<br>Facit, ut plus justus eo<br>Publicanus redeat.        |
| 3a. Hic ab illo supplantatur,<br>Dum sinistra cancellatur,<br>Locum subit dexteræ, | 3b. Sic et ordo permutatur<br>Apud Deum, qui placatur<br>Non verbo sed opere.     |
| 4a. Nos invitat hoc exemplum,<br>Ut intremus Christi templum<br>Devoti et humiles; | 4b. Detque nobis amor Christi,<br>Ut hinc exeamus isti<br>Publicano similes.      |

Miss. ms. Fossatense saec 14. Cod. Parisiens. 12060.

II.

DE BEATA.

---





#### 45. De Conceptione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Ad honorem messiae,<br>Qui natus est Mariae,<br>Cantetur egregie<br>Praesens prosa. | 1 b. Bene plena gaudio<br>Stat mater a filio,<br>Cujus est conceptio<br>Gloriosa.         |
| 2 a. Concepta carnaliter,<br>Sancta spiritaliter,<br>Manet aeternaliter<br>Pretiosa.     | 2 b. Pro cujus virtutibus<br>Est auctor in omnibus<br>Unitas stans in tribus<br>Generosa. |
| 3 a. Cujus incarnatio<br>Est nostra salvatio,<br>Criminum ablutio<br>Nominosa.           | 3 b. Finis est miseriae,<br>Initium gloriae<br>Et omnis laetitiae,<br>Vernans rosa.       |
| 4 a. Gaudeat ecclesia<br>Pro tanta laetitia,<br>Quam dat nobis Maria,<br>Vitae glosa.    | 4 b. Hodie concipitur,<br>Per quam nobis dabitur,<br>Quo pestis damnabitur<br>Odiosa.     |
| 5 a. Jesus finis omnium,<br>Finiſ et principium<br>Et virtus fidelium<br>Gratiosa.       | 5 b. Carissima domina,<br>Suscipe precamina,<br>Nostra dele crimina,<br>Gloriosa.         |
6. Karolo qui gratiam  
Regi det et gloriam.  
Regina sit etiam  
Augmentosa.

Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Parisiens. 865. -- 3 b, 2 et gloriae. —  
5 a, 1 Jesus est finis.

#### 46. De Nativitate BMV.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Epithalamica<br>dic sponso cantica,<br>Intus quae concipis,<br>dic foris gaudia,<br>Et nos laetificans<br>de sponso nuntia,<br>Cujus te refovet<br>semper praesentia. | 1 b. Adolescentulae,<br>vos chorum ducite,<br>Cum haec praecinerit,<br>et vos succinite,<br>Amici sponsi, vos<br>vocarunt nuptiae,<br>Et novae modulos<br>aptemus dominae. |
|--|--|

2a. In montibus  
hic ecce saliens,  
Ecce venit  
colla transsiliens,  
Per fenestram  
ad me respiciens,  
Per cancellas  
dixit prospiciens:  
Amica, surge, propera,  
Columba nitens, advola.

3a. Rex in accubitu  
jam se contulerat,  
Et mea redolens  
narda spiraverat,  
In hortum veneram,  
in quem descenderat,  
At ille transiens  
jam declinaverat.

4a. Jam teneo,  
quod optaveram;  
Jam rideo,  
quae jam fleveram.

5a. Nocte flevi, mane risi,  
Flevi nocte, risi mane. \*  
Noctem insomnem \* \*  
amor duxerat, \* \*  
Quem venientem \* \*  
amor fecerat.

6a. Eja nunc, comites  
et Sion filiae,  
Ad sponsae cantica  
psalmum adnectite,

7a. Quam fecit Dominus,  
haec est dies;  
Quam exspectavimus,  
haec est dies;  
Quam vere risimus,  
haec est dies!

2b. Horrens enim  
hiems jam transiit,  
Gravis imber  
recedens abiit,  
Ver amoenum  
terrae aparuit,  
Parent flores  
et turtur cecinit:  
Amica, surge, propera,  
Columba nitens, advola.

3b. Per noctem igitur  
hunc quaerens exeo,  
Huc, illuc anxia  
quaerendo cursito,  
Occurrunt vigiles,  
ardenti studio  
Quos cum transieram,  
sponsum invenio.

4b. Plus doleo,  
plus amaveram;  
Plus gaudeo,  
plus dolueram.

5b. Dilatione  
votum creverat,  
Donec amantem  
amans visitat.

Planctus nocte, plausus die,  
Nocte planctus, die plausus.

6b. Quod moestis reddita  
sponsi praesentia  
Convertit elegos  
nostros in cantica.

7b. Hostes quae subruit,  
haec est dies;  
Quam psalmus praecinit,  
haec est dies;  
Quae sponsam suscipit,  
haec est dies!

8. Quae cuncta reparat,  
haec est dies;  
Veris amoenitas  
haec est dies;  
Vitaetaeque novitas  
haec est dies;  
Quam fecit Dominus,  
haec est dies!

Brev. ms. Biterrense saec. 15. Cod. Parisiens. 1059. — Das Brevier enthält diese durch poetischen Schwung und sorgfältige Form gleich ausgezeichnete Prose zweimal, zum Feste der Empfängnis und zu dem der Geburt Mariä. Dafs dieselbe Sequenz im eigentlichen Sinne — nicht blofs verbetum — ist, beweist neben ihrem Umfange der Umstand, dafs auch andere Sequenzen, z. B. A rea virga, hier als Tropen benutzt werden.

#### 47. In Nativitate BMV.

##### 1. Virgo es sacra,

- |   |   |
|---|---|
| 2a. O genitrix<br>Maria, stella<br>maris et fulgida;                    | 2b. Te fama<br>olim jam vatum<br>dixerant venturam.                   |
| 3a. Ex Jesse egressa<br>radice, puerpera<br>Dominum paritura            | 3b. Nec non et regia<br>Davidis prosapia,<br>fulgens ut sol et luna.  |
| 4a. Hodie te, virgo benigna,<br>coelorum reboant agmina<br>mundo natum, | 4b. Atque tellus rite globosa<br>omnis recinunt laudiflua<br>cantica. |
| 5a. Quae polorum<br>viscera sacra<br>regem gestans in tua,              | 5b. Ante partum<br>virgo refulgens<br>et post partem integra.         |
| 6a. Tu nostra laxa<br>vincula dira,<br>o regina,<br>virginum lucerna.   | 6b. Pro nobis roga<br>filium alta<br>Deum pium<br>sedulo sub astris.  |
| 7a. Ut suos famulos<br>conservet,<br>protegat ac foveat,                | 7b. Donando misertus<br>coelorum<br>regna semper praeclara.           |
| 8a. Per saecula cuncta<br>atque ei carmina modulemur                    | 8b. Sacra in gloria<br>gaudentes aeterna, diu viventes                |

##### 9. Ac jucundantes   per tempora longa.

Miss. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309. — 3 a, 3 parituram.

#### 48. De Praesentatione BMV.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Ab aeterno disponente,<br>Sempiterna providente<br>Dei sapientia.       | 1b. Uno nexu conjugatis<br>Joachim et Anna gratis<br>Juga sunt sterilia.        |
| 2a. Ex affectu cordis toto<br>Duo et fideli voto<br>Se strinxerunt pariter, | 2b. Mox si prolem illis dare,<br>Velit, illam dedicare<br>In templo perenniter. |
| 3a. Angelus mox adstitit,<br>Qui utrumque docuit<br>Sacra vota suscepta;    | 3b. Trinitatis gratia<br>Concipitur filia<br>Omni carens macula.                |
| 4a. In utero consecratur,<br>Miro modo generatur,<br>Gignit mirabilis       | 4b. Altissimi patris natum<br>Virgo manens, qui reatum<br>Mundi tollit citius.  |

- |  |   |
|--|---|
| 5a. O quam mirabilis<br>Et quam laudabilis<br>Annae fecunditas,                  | 5b. Dum prolem edidit,<br>Quae mater meruit<br>Esse et filia.                       |
| 6a. Benedicta virgo nata<br>Templo trima praesentata<br>In ter quinis gradibus,  | 6b. Quos erecta mox ascendit,<br>Fulta fide apprehendit<br>Templi penetralia.       |
| 7a. O quam digne sibi dari<br>Diem hunc et consecrari<br>Res inspecta praedicat, | 7b. Universa tunc refecit,<br>Dum in matre, qui nos fecit,<br>Complet opus gratiae. |
| 8a. Ecce virgo singularis,<br>Quanta laude sublimaris,<br>Quanta fulges gloria;  | 8b. Ergo nos sic tuearis,<br>Ut fructu, quo gloriaris,<br>Fruamur in patria.        |
- Grad. ms. S. Agathae anni 1512. — Mel.: Ave mundi spes Maria.

49. De Annuntiatione BMV.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Gabrielis<br>suscepit nuntia<br>Virgo plena gratia;   | 1b. Genitorem<br>concepit filia,<br>Parit viri nescia.  |
| 2a. Felix puerperium<br>Angelis est gaudium,<br>Miseris remedium<br>Mortalibus;                 | 2b. Per quod mors destruitur,<br>Evae culpa tollitur,<br>Paradisus redditur<br>Exsulibus.               |
| 3a. Declarantur signa legis,<br>Haec est thronus summi regis,<br>Porta clausa Domini.           | 3b. Virga virens et pertingens,<br>Sine rore fructum ferens<br>Similatur virgini.                       |
| 4a. Haec est fons dogmatum<br>Et domus aromatum.  | 4b. Rosa convallium<br>Singularare lilium.  |
| 5a. O mater, o virgo,<br>Sancti spiritus<br>Nobile sacrarium.                                   | 5b. Fons horti, lux mundi,<br>Nostri gemitus<br>Unicum solatium.  |
| 6a. Tu spes una desperatis,<br>Pia mater pietatis,<br>Speciali castitatis<br>Gaudes privilegio. | 6b. O Maria, stella maris,<br>Dignitate singularis,<br>Tu, quae mundo dominaris,<br>Preces offer filio. |
7. Ut in praesenti gratiam,  
Post nobis det gloriam.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisiens. 10487. — 4b, 2 Et singulare.

50. De Annuntiatione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Gabrieli coelesti nuntio<br>Jungatur haec concio,                                 |   |
| 2b. Dicens: Ave Maria,<br>Cujus ad imperia<br>Coelum, terra, maria<br>Genu flectunt. | 2b. Stupent, tuum uterum<br>Profudisse tenerum,<br>Deum tamen puerum,<br>Mater virgo. |

- |  |   |
|--|---|
| <p>3a. Quis te cernens hunc lactare<br/>Fletus posset temperare<br/>Dono tactus pueri?</p>                       | <p>3b. Quam praedulces illae mam-<br/>mae,<br/>Quarum stillis illae flammae<br/>Restinguuntur inferi.</p> |
| <p>4a. Mirantur aethera,<br/>Panni tergunt scelera.</p>  | <p>4b. Infantis lacrimae,<br/>Sordes lavant animae.</p>   |
| <p>5a. O puer, o lactens,<br/>O fili virginis,<br/>Dei patris unice,</p>   | <p>5b. Qui es dux, qui es lux,<br/>Qui es pax hominis,<br/>Supplicantes respice.</p>                      |
| <p>6a. Clarum sidus navigantum,<br/>Callis rectus non errantum,<br/>Redde gratiae ac beatae<br/>Nos patriae.</p> | <p>6b. In qua regem in splendore<br/>Et te matrem in decore<br/>Sempiternae contemplemur<br/>Gloriae.</p> |

7. Per aeterna saecula.

Grad. ms. Longoretense saec. 13. Cod. Parisien. 10511 A. — Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisien. (Arsen.) 135 B. — 3a, 2 possit A. — 5a, 1 lactans A.

51. De Annuntiatione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Angelus ad virginem<br/>Subintrans in conclave,<br/>Virginis formidinem<br/>Demulcens inquit: Ave;<br/>Ave regina virginum,<br/>Coeli terraeque dominum<br/>Concipies<br/>Et paries<br/>Intacta,<br/>Salutem hominum<br/>Tu coeli porta facta,<br/>Medela criminum.</p> | <p>1b. Quomodo conciperem,<br/>Quae virum non cognovi?<br/>Qualiter infringerem,<br/>Quae firma mente vovi?<br/>Spiritus sancti gratia<br/>Perficiet haec omnia,<br/>Ne timeas<br/>Sed gaudeas<br/>Secura,<br/>Quod castimonia<br/>Manebit in te pura<br/>Dei potentia.</p> |
| <p>2a. Ad haec virgo nobilis<br/>Respondens inquit ei:<br/>Servula sum humilis<br/>Omnipotentis Dei,<br/>Tibi coelesti nuntio,<br/>Tanti secreti conscio,<br/>Consentiens<br/>Et cupiens,<br/>Videre<br/>Factum, quod audio,<br/>Parata sum parere<br/>Dei consilio.</p>       | <p>2b. Angelus disparuit<br/>Et statim puellaris<br/>Uterus intumuit<br/>Vi partus virginalis.<br/>Qui circumdatus utero<br/>Novem mensium numero<br/>Hinc exiit<br/>Et iniit<br/>Conflictum,<br/>Affigens humero<br/>Crucem, quo dedit ictum<br/>Hosti mortifero.</p>      |

- |  |  |
|--|--|
| <p>3. Eja mater Domini,<br/>         Quae pacem reddidisti<br/>         Angelo et homini,<br/>         Cum Christum genuisti,<br/>         Tuum exora filium,<br/>         Ut nobis se propitium</p> | <p>Exhibeat<br/>         Et delectat<br/>         Reata,<br/>         Praestans auxilium.<br/>         Vita frui beata<br/>         Post hoc exsilium.</p> |
|--|--|

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. — 1 a, 4 inquit ei.

52. De Visitatione BMV.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1 a. In his solemnibus<br/>         Visitationis<br/>         Mariae Virginis<br/>         Dicat plebs fidelis:<br/>         O mundi spes, ave!</p>            | <p>1 b. Mater humilium<br/>         Vae tulit gentium,<br/>         Dedit, dum fit pium<br/>         Ave per angelum,<br/>         Et pro Eva Ave.</p>             |
| <p>2 a. Nempē pro femina<br/>         Redditur femina,<br/>         Prudens pro fatua,<br/>         Mitis pro superba.<br/>         Virgo pro lasciva.</p>        | <p>2 b. Quae mortem abstulit,<br/>         Quam illa intulit,<br/>         Et, quam haec perdidit,<br/>         Vitam restituit<br/>         Deumque placavit.</p> |
| <p>3 a. Cum plena salute<br/>         Ventre sis et ore,<br/>         Die prior cognatae:<br/>         Salus venit ad te,<br/>         Quod est dictum Salve.</p> | <p>3 b. Respondeat, Ave<br/>         Maria, nam per te<br/>         Fugatur omne vae.<br/>         Quod ex muliere<br/>         Venit orbi terrae.</p>             |
| <p>4 a. Exsurgens festina<br/>         Visitans montana,<br/>         Clamat et cognata,<br/>         Quod sis gravidata<br/>         Sed viri nescia.</p>        | <p>4 b. Nam partum virgini,<br/>         Spiritum sterili,<br/>         Gaudium infanti<br/>         Deus dat, angeli<br/>         Congaudent homini.</p>          |
| <p>5 a. Eja, virgo pia,<br/>         Misce sata tria:<br/>         Deum peccatori,<br/>         Gratiam homini,<br/>         Nos aeternitati.</p>                 | <p>5 b. Et a miseria<br/>         Duc ad coelestia,<br/>         Angelis socia<br/>         Atque perpetua<br/>         Da frui gloria.</p>                        |

Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. A. — Sequent. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. C. — Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 14. add. saec. 15. D. — Miss. Lubicense imp. s. l. et a. E. — Miss. Brandenburgense imp. Nurembergae 1494. F. — Miss. Brandenburgense imp. Basileae 1510. G. — Mel.: Mittit ad Virginem AB. — 2b, 1 depulit FG. — 3b, 1 sq. Respondeat Maria ave nam per te fugatur E. — In FG laudet die Sequenz von Str. 4 a an: 4 a. Exsurgens festina | Visitans montana | Ut virtutum alta | Petant quos infima | Fovent peritura. — 4b. Fuit tibi data | Divinitus nota | Exclamat cognata | Quod sis gravidata | Sed viri nescia. — 5 a. En partum virgini etc. — 5 b. Et cum esset homo | Exsul a gaudio | Jam jungitur Deo | Tripudiat ergo | Infans in utero. — 6 a. Eja virgo pia etc. — 6 b. Tui memoriam | Agentes in via | Tecum post tristia | Ad vera gaudia | Perdue, o Maria.

53. In Visitatione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Mittit ad sterilem<br>Non quemvis nuntium<br>Sed suum angelum<br>Luce refulgentem<br>Amator hominis.  | 1 b Miratur et credit<br>Et laeta concipit<br>Dei genitricem,<br>Quam gaudens peperit<br>Cunctis amabilem.      |
| 2 a. Virgo singularis<br>Manet in abdito<br>Mentis, servit Deo<br>Canticis et hymnis<br>Mundo profutura.   | 2 b. Castum propositum<br>Voto confirmavit,<br>Angelos meretur<br>Habere consortes<br>Nostra reparatrix.        |
| 3 a. A summo cardine<br>Mittit archangelum,<br>Audit et suscipit<br>Puella nuntium,<br>Credat et concipit. | 3 b. Festinat gravida<br>Virgo puerpera,<br>Visitat sterilem<br>Matrem praecursoris,<br>Res ineffabilis.        |
| 4 a. Mundi redemptorem<br>Peperit intacta,<br>Gaudium angelis,<br>Pretium hominum<br>Victisque triumphum.  | 4 b. Humilis infantem<br>Deo repraesentat,<br>Illi munus offert,<br>Quod lex praeceperat,<br>Hoc senex excipit. |
| 5 a. Mundi dominatrix,<br>Choros angelorum<br>Transcendit assumpta,<br>Regina coelorum,<br>Dei mater alma. | 5 b. Illic hanc cathedrat<br>Virginem filius,<br>Imponit coronam<br>Super caput ejus<br>Ad gloriam Dei.         |
| 6 a. Ista mirifica<br>Plebs tua celebrat,<br>Tibi mente psallit<br>Et voce jubilat,<br>Mater orphanorum.   | 6 b. Pro nobis obtine,<br>Genitrix, veniam,<br>Reatum dilue<br>Et dona patriam<br>In arce siderum.              |

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisien. 11592. Add. saec. 15. —  
Der Inhalt der Sequenz hat mit dem Feste der Heimsuchung keinerlei Be-  
rührung. — Mel. jedenfalls = Mittit ad virginem.

54. De Compassione BMV.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Salve Maria,<br>Christi parens<br>intacta, gladio<br>doloris intus transfixa  | 2 b. Tuque in cubili<br>pectoris casti<br>verba haec servabas,<br>intus tamen ruminabas<br>valde pudenter,<br>virgo beata. |
| 2 a. Quem Simeon quondam<br>corde praesago<br>cecinit futurum<br>tibi, qui tenuit gaudens<br>dulcem filium<br>suis in ulnis. |  |

- 3a. At ubi natum  
Herodes statuit tuum  
trucidare, petisti  
Aegyptum passura  
triste exsilium.
- 4a. Post tui tandem  
ex Aegypto reditum  
amissum triduo  
quaesisti natum  
lacrimis faciem rigans  
speciosam.
- 5a. Hinc dum tristis  
oravit ad patrem,  
discipuli  
dolus est traditus,  
vincitur idem,  
quem es enixa  
propitiationis agnus  
regnans cum patre  
aeternaliter,  
pro nobis immolandus  
in ara crucis poenaliter
- 6a. Fac tecum quoque  
vulnera Jesu  
moesti speculemur,  
fleamus plangamusque semper,  
tanti memoriam  
beneficii pectoris  
in secreto  
contineamus.
- 7a. Audi nos  
propter vulnera  
dulcis nati, Maria.
- 8a. Da crucis esse socios,  
quos mundi fallens  
vanitas effecit  
impios.
- 3b. Nec brevi mora  
fovit te tellus hospita  
non oblitam indigna  
tyranni odia  
quaerentis filium.
- 4b. Augentur post haec,  
o mater, angustiae,  
ubi persequuntur  
agnum Judaei,  
sanguinem ejus ut lupi  
sitientes.
- 5b. Hinc captus heu  
ut latro ducitur,  
blasphematur  
atque conspuitur,  
suffert alapas  
atque flagella,  
spinas clavos et crucem flensque  
vidisti mortem  
diram filii;  
ora, virgo, illius  
nos sacro sanguine ablui.
- 6b. Fac nos, petimus,  
hoc obtinere,  
quod genitor bonus,  
quod natus intendebat pius,  
et quod mater sancta  
humano generi lapsos  
stans sub cruce  
supplex optabas.
- 7b. Salva nos,  
Jesu, pro quibus  
supplicat mater pia.
- 8b. Ut in aeterna gloria  
tibi victori  
mortis conregnemus  
Domino.
9. Quem pater ante  
saecula genuit,  
quem virgo prorsus  
inviolata  
mortali circumamictum carne  
in orbem istum duxit.

Brev. Havelbergense imp. Lipsiae 1518 A. — Diurn. Caminense imp. Lipsiae 1519. B. — 5b, 10 nos illius B. — Die Sequenz ist auf das Schema der Prosa Ave praeclara gebaut, aber nicht ohne Abweichungen, z. B. in Str. 8 und 9.



55. De Compassione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. Gemebundus<br/>         Mariae decantet clerus<br/>         Voce pia,</p> <p>2 a. Angelus consilii<br/>         Oblatus Deo patri,<br/>         Sol de stella;</p> <p>3 a. Fugit mater odium<br/>         Herodis in Aegyptum<br/>         Pari forma,</p> <p>4 a. Cedrus alta balsami<br/>         Perdit mater unicum<br/>         Valle nostra,</p> <p>5 a. Mater cernit filium<br/>         Et crucis patibulum,<br/>         Oculorum rivulis<br/>         Erat caeca.</p> <p>6 a. Dilectrix unica,<br/>         Jam vera orphana<br/>         Natum sepelit,<br/>         Gens misera.</p> | <p>1 b. Quam confixit<br/>         Novus dolor, verus amor,<br/>         Res miranda.</p> <p>2 b. Simeonem adiens,<br/>         Nati poenam audiens,<br/>         Voce clara.</p> <p>3 b. Paupertatem tenuit,<br/>         Mater parum habuit<br/>         Haec corrupta.</p> <p>4 b. Verbum patris coelici<br/>         Portat crucem debili<br/>         Carne sumpta.</p> <p>5 b. Sinum pandit filio,<br/>         Ipsum volvit linteo<br/>         Multis cum gemitibus,<br/>         Haec praedicta.</p> <p>6 b. Frater, considera,<br/>         Haec est miseria,<br/>         Quantum haec pertulit<br/>         Puerpera.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Altovadense 21 saec. 15 A. — Miss. Paulinorum imp. Venetiis 1537. B. — Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerani saec. 15. Clm. Monacen. 14667 C. — Miss. Salisburgense imp. 1510. D. — 1b, 3 fehlt A. — 4a, 2 Perdidit ABD.

56. De Compassione BMV.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. Verbum patris aeternatum,<br/>         Ex Maria incarnatum,<br/>         Laudet nostra concio,</p> <p>2 a. Mirum virgo profert florem,<br/>         Granum fulvum in decorem<br/>         Pro parentum crimine,</p> <p>3 a. Turpi turba nam velatur<br/> <br/>         Ac a Juda osculatur<br/>         Matre sancta nescia,</p> <p>4 a. Corda simul quatiuntur,<br/>         Haec horrenda dum panduntur,<br/>         Agon ingens properat;</p> <p>5 a. Mater, Martha, Magdalena<br/>         Simul petunt fide plena<br/>         Atria pontificis,</p> | <p>1 b. Dulcis auster nam perflavit,<br/>         Aquilonem dum prostravit<br/>         Spirituali nuntio.</p> <p>2 b. Quod contusum et expressum<br/>         Mente pura indefessum<br/>         Fera gens fert minime.</p> <p>3 b. Redempta mox Johannes sin-<br/>         done<br/>         Bethaniam adivit propere,<br/>         Flenda nova nuntiat.</p> <p>4 b. Deitatem vanitas,<br/>         Mitem turbat feritas,<br/>         Ferme fides haesitat.</p> <p>5 b. Patris splendor quo turbatur,<br/>         Rictus oris demonstratur<br/>         Artubus deficiis.</p> |
|--|---|

- 6a. Sancta cervix castigatur,  
Ut peccator redimatur  
Culpaē ruptis vinculis,  
7a. Gemit, plangit praeamare,  
Mallens caro properare  
Nequit prae complicitibus,  
8a. Qui dum matrem intuetur  
Ac pudice reveretur,  
Cadit facietenus,  
9a. Demum surgit crine tractus,  
Pugno mactus, clavo tactus  
Ab infecta turmula;  
10a. Carne Christi conclavata,  
In agone tormentata,  
Mater sancta commendata  
Caro est discipulo;  
11a. Fili, dulcor supernorum,  
Quamvis plenus tormentorum,  
Curam gere orphanorum  
In valle miseriae.  
12a. Ergo mater et matrona,  
Coeli terraeque corona,  
Confer nobis Christi dona,  
Cuncta sistunt in te bona  
Sempiterni delubri.
- 6b. Diva mater dum respexit,  
Vinctum, caesum, quem di-  
lexit,  
Ac turbatum sputulis.  
7b. Crucis morti dum addictus  
Christus princeps benedictus  
Exit crucis bajulus.  
8b. Nam flagellis tormentatus,  
Nocte, die castigatus  
Expers est a viribus.  
9b. Non est dolor neque poena  
Compar huic, quam serena  
Tulit cum decentia.  
10b. Quae dum vidit moriturum  
Ac a mundo recessurum  
Jesum, optat, hunc daturum  
Protectorem populo.  
11b. Non te linquam, pia mater,  
Vocat me e mundo pater,  
Tu, matrona et commater  
Apexque clementiae.  
12b. Es quae virgo coeli porta,  
De qua vera lux est orta,  
In agone nos conforta,  
Ut a seris et a porta  
Eruamur inferi.

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. A. — Miss. Lubicense imp. s.  
l. et a. B. — Mel. jedenfalls Laudes crucis.

### 57. De Doloribus BMV.

- 1a. Salve virgo generosa  
Et regina gloriosa  
Coelestis militiae,  
2a. Ferit gladius doloris  
Plenum divi cor amoris  
Senis vaticinio  
3a. Ast Herode saeviente  
Dulcem natum tu repente,  
Virgo mater tenera,  
4a. Inde quaesiisti filium  
Florentem sicut lilium  
Doctorum in medio
- 1b. Praelecta vernans rosa,  
Mater quondam dolorosa  
In valle tristitiae.  
2b. Complectentis sacram prolem,  
Hinc sensisti verbi molem  
Pectoris in scrinio.  
3b. In Aegyptum pertulisti  
Per desertum et nutristi,  
Qui creavit aethera.  
4b. Anno ejus duodeno,  
Plenum dogmate sereno,  
Jam amissum triduo.

- |  |   |
|--|---|
| <p>5a. Captum, caesum, coronatum,<br/>Morti sciens iudicatum,<br/>Videns in angustiis,</p> <p>6a. Ades cruci redimentis<br/>Jesu flentis, morientis<br/>Transfixa carne pura ;</p> <p>7a. Hora tandem vespertina<br/>Mundi clara medicina<br/>Jam exstincta redditur</p> <p>8a. In sepulchro collocatur,<br/>Cor maternum anxiatur,<br/>Cum illic abigeris ;</p> | <p>5b. Ligno crucis oneratum,<br/>Se dum graditur oblatum<br/>Pro nostris flagitiis.</p> <p>6b. Dolores, quos parturiens<br/>Evasisti, jam sustinens<br/>Extortos cum usura.</p> <p>7b. Tibi matri deplangenti,<br/>Corpus fossum intuenti,<br/>Dum in sinu volvitur.</p> <p>8b. Suscipe nos commendatos,<br/>Dulci filio fac gratos<br/>Et conjunge superis.</p> |
|--|---|

Miss. ms. S. Floriani XI 470. saec. 15. A. — Miss. ms. Claustroneoburgense 617. saec. 15. B. — Grad. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Palatin. Vindobonens. 3787. C. — Miss. Salisburgense imp. Vindobonae 1506. D. — Miss. Praemonstratense imp. Parisiis 1578. E. — 2a, 2 divini amoris C. — 2b, 2 Exhinc sensisti C. — Str. 4 b nur in E; in allen anderen Quellen ist 4a ohne Gegenstrophe; und in der That verstößt 4b, 3 gegen die sonst beobachtete Reinheit des männlichen Reims.

### 58. De beata Maria Virgine.

Tempore paschali.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Stabat juxta Christi crucem,<br/>Stabat videns vitae ducem<br/>Vitae valefacere,</p> <p>2a. Stabat virgo spectans crucem<br/>Et utramque pati lucem,<br/>Sed plus suam doluit,</p> <p>3a. Intus cruci conclavatur,<br/>Intus sui jugulatur<br/>Mater agni gladio,</p> <p>4a. Modo manus, modo latus,<br/>Modo ferro pes foratus<br/>Oculis resumitur,</p> <p>5a. Os verendum litum sputis<br/>Et flagellis rupta cutis<br/>Et tot rivi sanguinis,</p> <p>6a. Tempus nacta trux natura<br/>Nunc exposcit sua jura,<br/>Nunc dolores acuit,</p> <p>7a. Nunc, nunc parit, nunc scit<br/>vere,<br/>Quam maternum sit dolere,<br/>Quam amarum parere,</p> | <p>1b. Stabat mater nec jam mater,<br/>Et quid sit eventus ater,<br/>Novo novit funere.</p> <p>2b. Ista stabat, hic pendeat,<br/>Et quod foris hic ferebat,<br/>Intus haec sustinuit.</p> <p>3b. Intus martyr consecratur,<br/>Intus tota concrematur<br/>Amoris incendio.</p> <p>4b. Modo caput spinis tutum,<br/>Cujus orbis totus nutum<br/>Et sentit et sequitur.</p> <p>5b. Probra, risus et quae restant,<br/>Orbitati tela praestant<br/>Et dolori virginis.</p> <p>6b. Nunc extorquet cum usura<br/>Gemitus, quos paritura<br/>Naturae detinuit.</p> <p>7b. Nunc se dolor orbitati<br/>Dilatus in partu nati<br/>Praesentat in funere.</p> |
|---|--|

- |  |   |
|--|---|
| <p>8a. Nunc fit mater, sed doloris,<br/>Servat tamen hic pudoris<br/>Virginalis gratiam,</p> <p>9a. Triduanus ergo fletus<br/>Laeta demum est deletus<br/>Surgentis victoria,</p> <p>10a. Christi novus hic natalis<br/>Formam partus virginalis<br/>Clauso servat tumulo,</p> <p>11a. Eja mater, eja laeta,<br/>Fletus tui nox expleta<br/>Lucescit in gaudium,</p> | <p>8b. Nam pudicos gestus foris<br/>Non deflorat vis doloris<br/>Intus urens anxiam.</p> <p>9b. Laeta lucet spes dolenti,<br/>Leto namque resurgenti<br/>Conresurgunt omnia.</p> <p>10b. Hinc processit, hinc surrexit,<br/>Hinc et inde Christus exit<br/>Intacto signaculo.</p> <p>11b. Nostrae quoque laetum mane<br/>Nocti plus quam triduanae<br/>Tuum redde filium.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Secoviense saec. 14. in. Cod. Graecen. 456. A. — Miss. ms. Vovariense 35. saec. 14. B. — Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisien. (Arsen.) 135. C. — Miss. ms. Claustroneoburgense 614. saec. 14. D. — Miss. ms. Claustroneoburgense 71. saec. 15. E. — 1a, 2 Mundi ducem C. — 3b, 1 Intus mater DE. — 5a, 1 lutum sputis DE. — 5b, 2 Orbi toti DE. — 6a, 1 nunc natura DE. — 6b, 3 Natura C. — 8a, 1 Nunc seit mater vim doloris C. — 9b, 2 Nato namque C; leto = a leto. — Die Mel. bieten A in Neumen. C in Noten.

### 59. De beata Maria Virgine.

Tempore paschali.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Stabat juxta Christi crucem<br/>Videns pati veram lucem<br/>Mater regis omnium;</p> <p>2a. Vidit corpus flagellari,<br/>Manus, pedes perforari<br/>Mitis a crudelibus,</p> <p>3a. Vidit potum felle mixtum,<br/>Natum suum crucifixum<br/>Gubernantem omnia,</p> <p>4a. Audit virgo haec dicentem<br/>Natum suum innocentem:<br/>Ecce mater, filius.</p> <p>5a. In dolore tunc fuisti,<br/>Virgo mater, dum vidisti<br/>Mori tuum filium,</p> <p>6a. Virgo mitis, virgo pia,<br/>Spes reorum, vitae via,<br/>Virgo plena gratia,</p> | <p>1b. Vidit caput coronatum<br/>Spinis, latus perforatum,<br/>Vidit mori filium.</p> <p>2b. Vidit caput inclinatum,<br/>Totum corpus cruentatum<br/>Pastoris pro ovibus.</p> <p>3b. Ipsum pati haec flagella<br/>Vidit mater et puella,<br/>Vidit et opprobria.</p> <p>4b. Pati virgo vidit natum,<br/>Dicentem: Est consummatum,<br/>Et sic transit gladius.</p> <p>5b. Dolor ingens dolor ille,<br/>Dicent sancti plus quam mille,<br/>Praecessit martyrium.</p> <p>6b. Roga natum et implora,<br/>Servis tuis sine mora<br/>Nobis dari gaudia.</p> |
|---|--|

Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Strigoniense? saec. 15. Cod. Salisburgen. (bibl. publ.) V 1 B 23. B. — Miss. Aboense imp. Lubecae 1488. C. — 1a, 1 Stabat virgo juxta B. — 2a, 3 Vincitum a crudelibus C. — 4a, 1 Vidit virgo AC. — 4b, 1 vidit virgo AC. — 5a, 1 tu fuisti AB. — 6b, 1 Jube natum AC.

60. De Gaudiis BMV.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Gaude, virgo gloriosa,<br>Ex stirpe nata Davidica,<br>Scripturarum vera glosa,<br>Et peccatorum spes, Maria.    | 1b. Praebe laudes personare,<br>Gaudia tua decantare,<br>Nulla vox nec lingua quare<br>Plene te sufficit laudare.      |
| 2a. Gaude, cum angelo faris,<br>A pneumate fecundaris,<br>Lucidior es stella maris<br>Et verus splendor solaris.    | 2b. Ave cum gratia plena<br>Cepisti mente serena<br>Et concepisti filium,<br>O quantum tibi gaudium.                   |
| 3a. Gaude, Engaddina vitis.<br>Culta pulchris margaritis,<br>Botrum dulcem paris, mitis,<br>Fugantem malum aspidis. | 3b. Porta tunc Ezechielis<br>Clausa fuisti fidelis,<br>Quando creator de caelis<br>Exivit claustris non laesis.        |
| 4a. Gaude, quod tres magi sagi<br>Tribus donis bonis quaerunt,<br>Auram, thus, myrrham fe-<br>rentes,               | 4b. Deum verum, natum gratum,<br>Tuum, suum regem, legem<br>Viae a stella rimantes.                                    |
| 5a. Gaude, quod ad templum isti,<br>Natum tuum obtulisti,<br>A vidua didicisti<br>Et a propheta audisti             | 5b. Benedictionem dictam ;<br>Suspendamus prophetiam<br>De laesione gladii<br>Jam tempore gaudii.                      |
| 6a. Gaude, Christi victoria<br>Figitur in memoria,<br>Cum leo de tribu Juda<br>Surgit a mundi scoria.               | 6b. Contra Gabaon sol stetit,<br>Cum Christus victor extitit,<br>Phlegetontis antra trivit,<br>Dum a morte resurrexit. |
| 7a. Gaudent supernorum cives,<br>Quando natus tuus dives<br>Mox aethera transilivit<br>Arcem coelique transcendit.  | 7b. Tibi, o Virgo Maria,<br>Ingentia tunc gaudia<br>Per filium sunt impressa.<br>Qui transvolavit aethera.             |
| 8a. Gaude, virgo, quater seni<br>Tibi psallunt laude pleni,<br>In ascensu tuo leni<br>Ad coelos, dic mihi: veni     | 8b. Ad tam dulcia gaudia<br>Atque sonora cantica ;<br>Sic nos barathri squalida<br>Non trucidant per saecula.          |

Missale Misnense imp. s. l. et a (ante 1529).

61. De gaudiis beatæ Mariae V.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Rosa, gaude salutata,<br>Novo more fecundata<br>Mira Dei gratia ;              | 1b. Rosa, regem saeculorum<br>Pariens et angelorum.<br>Gaude, gaudent omnia.       |
| 2a. Rosa, gaude stella quaerunt<br>Regem reges, dona ferunt,<br>O regina, jubila ; | 2b. Rosa, gaude, offers natum.<br>Laudat pater baptizatum,<br>Deus vivus proditur. |

- 3a. Rosa, gaude, resurgentem  
Cernis natum, te gaudentem  
Jesus fecit nimium;
- 4a. Rosa, gaude, cum canoro  
Jesus te assumpsit choro  
Ad aeterna gaudia;
- 5a. Rosa rosis coronata,  
Sponso, nato sociata,  
Lumen spectas luminum;
- 6a. Rosa prima, comitaris  
Agnum et hunc imitaris  
Virginali carmine;
- 3b. Rosa, gaude, quem scandentem  
Coelos spectas et mittentem  
Suis sacra munera.
- 4b. Rosa, gaude, speciosa,  
Cujus mater gloriosa  
Resides in solio.
- 5b. Rosa, pleno sociaris  
Deo, cujus ebriaris  
Nimia dulcedine.
- 6b. Rosa, tuis amorosis  
Ergo liliis et rosis  
Da sertum clementiae
7. Rosa in Christi roseto,  
Tis meritis nos foveto,  
Mater misericordiae.

Miss. ms. Nussiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12063.

62. In Assumptione BMV.

- 1a. Jubilemus collaudantes  
Dominum laetitia,
- 2a. De qua Christus potestate,  
Non natura genitus,
- 3a. Ante partum virgo mansit  
Et in partu equidem,
- 4a. Qui cum patre sine matre  
Omnia composuit,
- 5a. O quam dulce condimentum,  
O quanta mysteria,
- 6a. Virgo est, qui generatur,  
Et virgo, quae generat,
- 7a. Super choros angelorum  
Es, perpulchra domina,
- 8a. Per te vita restauratur,  
Per te mors destruitur,
- 9a. Ave, Christi gloriosa  
Genitrix et filia,
- 10a. Tibi cuncta famulantur  
In terris terrestria,
- 11a. Ergo, sancta, die isto  
Nobis sis propitia,
- 12a. Ut sequamur cum electis  
Agnum sine macula
- 1b. Collaudemus venerantes  
Virginis magnalia.
- 2b. Mundum sua potestate  
Salvavit divinitus.
- 3b. Et post partum conservavit  
Deus homo virginem.
- 4b. Sic ex matre sine patre  
Nobis nasci voluit.
- 5b. O quam magnum sacramentum,  
O quam magna gaudia,
- 6b. Et ab ipsa contactatur,  
Quam ante formaverat.
- 7b. Exaltata et sanctorum  
Laeta cernis agmina.
- 8b. Homo lapsus restauratur,  
Per te coelo redditur.
- 9b. Super omnes speciosa,  
Dei plena gratia.
- 10b. Quam in coelis venerantur  
Omnia coelestia.
- 11b. O Maria, nosque Christo  
Prece reconcilia.
- 12b. Et mundati a delictis  
Per aeterna saecula.

13a. Amen dicat  
voce dulciffua

13b. Chorus noster  
cum mente sedula.

Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parisiens. 1139. — Ob der reiche Reim 2a, 1 und 8a, 1 Absicht des Verfassers oder Irrtum des Schreibers, ist schwer zu entscheiden.

63. In festo Mariae Nivis.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Miris modis et praeclaris<br>Olim virgo praedicaris<br>Et rutilans Maria,                        | 1b. Ab aeterno ordinaris,<br>Sed per tempus declararis<br>Et nitescis nivea.                    |
| 2a. Ritu nivis coeli civis<br>Statum sumis non ab imis<br>In ortu clarissima,                        | 2b. Ima regis, foeda tegis,<br>Munda venis, corda lenis,<br>In partu purissima.                 |
| 3a. Arens tellus non gravatur,<br>Nive nitens fecundatur<br>Descensu lenissimo;                      | 3b. Egens quivis consolatur,<br>Virginis nam jucundatur<br>Respectu gratissimo.                 |
| 4a. Poros terrae nix concludit,<br>Iter feris intercludit<br>Et pandit vestigia;                     | 4b. Et tu dulcis claude fores,<br>Ne erumpant pravi mores<br>Hostisque malitia.                 |
| 5a. Nive visus oblectatur,<br>Sed acies hebetatur<br>Ejus perspicacia;                               | 5b. Te laudare mens conatur,<br>Sed praecellis et arctatur,<br>Prae sui angustia.               |
| 6a. Bonis tuis provocatur,<br>Sed excedunt et fraenatur<br>Tui excellentia;                          | 6b. Nec natura nec scriptura<br>Plene laudant nec figura,<br>Superas nam omnia.                 |
| 7a. Aemula ens naturae ars<br>Laudis tuae utrumque pars<br>Succumbit inopia;                         | 7b. Chori stupent angelorum,<br>Nam omnium beatorum<br>Transcendis vestigia.                    |
| 8a. Et si nequis enarrari,<br>Debent tamen famulari<br>Tibi quaevis infima;                          | 8b. Sub sacrata nivis domo<br>Veneretur cuncta homo<br>Virtutum insignia.                       |
| 9a. Nam non potest singulari,<br>Modo saltem generali<br>Recolat praeconia;                          | 9b. Utque cunctis es parata,<br>Tua sunt annotata<br>Larga beneficia.                           |
| 10a. Per haec tui recordemur,<br>Invocantes te purgemur<br>Et purgati illustremur<br>Ex tui memoria; | 10b. Super nivem dealbemur,<br>Dealbati coronemur,<br>Coronati praemiumur<br>Felices in gloria. |

Miss. Misnense imp. s. l. et a. — 9b, 2 fehlt eine Silbe am Verse.

64. In festo Mariae Nivis.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Eja, sponsa Christi, gaude,<br>Corde, voce, nova laude,<br>Militans ecclesia, | 1b. Et coelestes hierarchiae<br>Jucundentur in hac die<br>Dulci cum symphonia. |
|---|--|

- |   |   |
|---|---|
| 2a. Totus orbis, collaetur,<br>Totus chorus gratuletur<br>Supernorum civium,        | 2b. Genitricis illibatae<br>Semper virginis beatae<br>Adsunt festa nivium.              |
| 3a. Quae naturae contra ritum<br>Ex angusto infinitum<br>Fructum profert parvula:   | 3b. Homo Deum, stella solem,<br>Nata patrem, virgo prolem,<br>Antiquum juvencula.       |
| 4a. Novum creat virgo mirum:<br>Dum sol virginale gyrum<br>In aestate media         | 4b. Lustrat magno cum fervore,<br>Nivem dedit cum algore,<br>Miscuit contraria.         |
| 5a. Romam agit in stuporem,<br>Dum nix datur praeter morem<br>Inconsuetum patriae;  | 5b. Quid praetendit, dum nescitur,<br>Statim tellus aperitur<br>Tuae pro cultu laetiae. |
| 6a. Hujus templi de structura<br>Vidit visione pura<br>Pontifex Liberius            | 6b. Genitricem praecellentem<br>Nocte sibi colloquentem,<br>Obedit celerius.            |
| 7a. Somno vidit cum uxore<br>Matrem Christi cum fulgore<br>Nobilis patricius;       | 7b. Mandans templum consummari<br>Et a cunctis venerari,<br>Exsequuntur citius.         |
| 8a. Templum pulchrum erexerunt<br>Et idem consecraverunt<br>Virginis sub titulo,    | 8b. Cui signa clarent pura,<br>Quae non fiunt a natura<br>Ejus adminiculo.              |
| 9a. Quam precemur corde puro,<br>Ut non locet in obscuro<br>Nostros tandem spiritus | 9b. Sed in regno claritatis<br>Nos collocet cum beatis<br>Post praesentes gemitus.      |

Miss. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. bibl. Jagellonicae 1463. A. — Miss. Cracoviense imp. Nurembergae 1492. B. — 5a, 1 Rorem agit B.

65. In solemnitate sacratissimi Rosarii.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Virginalis hortuli<br>Verni pubent surculi<br>Et efflorent pulluli<br>Fecunda propagine;                      | 1b. Gelu et hiems transeunt,<br>Nix et imber abeunt,<br>Rosae in terra prodeunt<br>E coelesti germine.                 |
| 2a. Rosa, radix lili,<br>Haec ex horto filii<br>Toto cursu exsili<br>Collegit plantaria;                          | 2b. Justis ad laetitiam,<br>Reis ad justitiam,<br>Electis ad gloriam,<br>Cunctis salutaria.                            |
| 3a. Quae de coelis attulit<br>Et in terris sustulit,<br>Christus mundo contulit<br>Contra mundum proelians;       | 3b. Nos hic tectus frondibus,<br>Vulneratus sentibus,<br>Redimitus floribus,<br>Vocans, purgans, praemians.            |
| 4a. A stirpis rosariae<br>Gemmis, spinis, foliis<br>Affluentis patriae<br>Fruemur deliciis,<br>Ubi satrix residet | 4b. Atque hujus militiae<br>Laeta sodalitiis.<br>Triplicis hierarchiae<br>Ter trinis consortiis<br>Imperatrix residet. |



- 5 a. Stella luna pulchrior,  
Lucifero clarior,  
Sole rutilantior,  
Lux luce lucidior.
- 6 a. Potestate insignior,  
Virtute praestantior,  
Dominatu dignior.
- 7 a. Salve nova triumphatrix  
Et triumphi reparatrix  
Antiqui certaminis,
- 8 a. Ave verbi domicilium,  
Sancti spiritus sacrarium,  
Summi patris filia;
- 5 b. Sancta sanctis sauctior,  
Angelis nobilior,  
Archangelo egregior,  
Principatu illustrior.
- 6 b. Thronis eminentior,  
Cherubim peritior,  
Seraphim ardentior.
- 7 b. Rursus minax saevit ultor,  
Ni resistas, perit cultor  
Christiani nominis.
- 8 b. Affer nobis juge auxilium,  
Sub discrimen vitae varium  
Contra tela hostilia.
9. Ut coronent nos post proelium,  
Quae fert coeli viridarium,  
Mixta rosis lilia.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1600. — 7 b steht irrthümlich hinter 8 b. — Das geringe Alter dieser Sequenz beweist neben dem Vorwurfe die beobachtete Elision.

66. De beata Maria V.

- 1 a. Salve, mater gratiae,  
Salve, vena veniae,  
Stella maris;
- 2 a. Salve, gemma virginum,  
Salve, salus hominum,  
Virgo mitis;
- 3 a. Salve, mundi domina,  
Salve, coeli regina,  
Mater pia;
- 1 b. Salve, fons laetitiae,  
Salve, vas munditiae,  
Lux solaris.
- 2 b. Salve, lampas luminum,  
Salve, decus virginum,  
Vera vitis.
- 3 b. Salve, sanans crimina,  
Salve, salvans omnia,  
O Maria.

Miss. ms. Tullense saec. Cod. Parisiens. 11592.

67. De beata Maria V.

- 1 a. Salve mater salvatoris,  
Mater salutifera,
- 2 a. Salve rosa  
Speciosa,  
Salve Jesse virgula,
- 3 a. Virga, rubus appellaris,  
Flos, fenestra, janua,
- 1 b. Spes Maria peccatoris,  
Virgo et puerpera.
- 2 b. Cujus fructus  
Nostri luctus  
Relaxavit vincula.
- 3 b. Mater Dei, lux solaris,  
Jesse stirps ingenua.
4. Prece tua  
Fac ad sua  
Nos ducat palatia  
Christus Deus noster.

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592.

68. De beata Maria V.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Mater Dei, salus rei<br>Indefessa,<br>Nos regendo, nos tuendo<br>Nunquam cessa.       | 1 b. Mater casta, semper asta<br>Supplicando,<br>Gregem istum apud Christum<br>Commendando. |
| 2 a. Mater bona et matrona,<br>Roga prolem,<br>Ut nostrorum peccatorum<br>Tergat molem.    | 2 b. Mater justa et onusta<br>Novo flore,<br>Fer levamen et solamen<br>Tuo more.            |
| 3 a. Mater mitis verae vitis,<br>Ora natum,<br>Ut solvatur, quod ligatur<br>Per reatum.    | 3 b. Mater cara, iter para<br>Nobis tutum,<br>Te petimus, quamvis simus<br>Molle lutum.     |
| 4 a. Mater alma, velut palma<br>Potens alta,<br>In profundo mersos fundo<br>Duc ad alta.   | 4 b. Mater prolem, stella solem<br>Interpella,<br>Ut interna et externa<br>Premat bella.    |
| 5 a. Mater, serva cum caterva<br>Locum istum,<br>Exoptamus et rogamus<br>Propter Christum. | 5 b. Mater orbis, confer morbis<br>Medicinam,<br>Spes cunctorum miserorum<br>Post ruinam.   |
| 6 a. Mater munda, sic emunda<br>Nos a faece,<br>Ne damnemur sed salvemur<br>Tua prece.     | 6 b. Mater pia, o Maria,<br>Te rogamus,<br>Ut ablato jam peccato<br>Gaudeamus.              |

7. Mater ave, mater salve,  
Mater, nostri miserere,  
Miserere, miserere.

Miss. ms. Gottwicense 432 saec. 15. A. — Miss. ms. Tullense saec. 14.  
Cod. Parisiens. 11592 B. — 5a, 1 Mater salva B. — 5a, 3 Exspectamus et  
oramus B. — 5a, 4 Propter ipsum A. — 7, 3 fehlt B.

69. De beata Maria V.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Madens vellus Gedeonis<br>Et celatum Salomonis<br>Auro fulgens ferculum,         | 1 b. Stella maris mundo lucens,<br>Virgam Jesse stirps producens,<br>Novum dans spectaculum. |
| 2 a. Stella maris haec est una,<br>Cujus simul sol et luna<br>Stupent pulchritudinem; | 2 b. Stupet coelum decus terrae,<br>Stupet terram sidus ferre,<br>Stupet versum ordinem.     |
| 3 a. Est naturae jus mutatum,<br>Est in terra sidus natum,<br>Quod solem parturiat,   | 3 b. Qui splendorem spiritalem,<br>Qui calorem det vitalem<br>Et occasum nesciat.            |
| 4 a. Admirantur universa,<br>Quod et terrae vice versa<br>Coelum lux irradiat,        | 4 b. Obstupescit et natura,<br>Quod creatur creatura,<br>Quae creantem pariat.               |

- |  |  |
|--|--|
| <p>5a. Salve, nascens stella maris,<br/>Quae dux esse comprobatis<br/>Et spes vitae singularis<br/>    Naufraganti saeculo.</p> <p>6a. Qui per septiforme donum<br/>Sibi fecit ex te thronum,<br/>Nullum tale vel tam bonum<br/>    Sculpsit sapientia.</p> <p>7a. Absque manu regi visus<br/>Ex te lapis est excisus,<br/>Virgo nostri causa risus,<br/>Flos convallis, paradisus,<br/>    Arbor aromatica.</p> <p>8a. Mater, pacem da benigna,<br/>Virgo, nato nos consigna,<br/>Quem circumdas alvo digna,<br/>Ne nos hostis ars maligna<br/>    Fallat aut versutia.</p> | <p>5b. Dux virtutis, via morum,<br/>Quae nescisti viri thorum,<br/>Tuo digne rex coelorum<br/>    Prodit tabernaculo.</p> <p>6b. In te candor castitatis,<br/>In te fulgor claritatis,<br/>Thronus summae majestatis<br/>    Ex hac fit materia.</p> <p>7b. Tu decorem induisti,<br/>Tu plus sole refulsisti,<br/>Cum beata membra Christi<br/>Tuae carnis contexti<br/>    Polymita tunica.</p> <p>8b. Porta patens regi soli,<br/>Per quam cedunt hostis doli,<br/>Tu nos offer tuae proli,<br/>Quo cum ipso summa poli<br/>    Perfruemur gloria.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. — 1 b, 2 Virga Jesse. — 2b, 1 maris inest una. — 4a, 2 terra. — 8a, 3 Que circumdas. — 8a, 4 Sic nos hostis.

#### 70. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Mira mater exstitisti,<br/>Virgo Deum peperisti,<br/>Nullam parem reperisti<br/>    Fronde, flore, germine.</p> <p>2a. Assistentes tuae laudi,<br/>O Maria, nos exaudi,<br/>Tuos princeps ne peccati<br/>Servos subdat, tui nati<br/>    Transfer ad palatia.</p> | <p>1b. Quisquis sincera mente poscit,<br/>Quae mens morbifera vexat,<br/>Illi salus vera crescit,<br/>    Fit in tuo nomine.</p> <p>2b. Regnas domo qua stellata,<br/>Illuc vehas nos, beata,<br/>Ut te jugiter colamus<br/>Et cum justis pertingamus<br/>    Sempiterna gaudia.</p> |
|--|--|

Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. — 1b, 3 crescit ergänzt.

#### 71. De beata Maria V.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. O Maria, mater pia,<br/>Stella maris fulgida</p> <p>2a. Tu coelorum es regina,<br/>Vernans rosa carens spina,<br/>    Angelorum domina,</p> <p>3a. Virga florens et producens<br/>Stirpe ex Davidica</p> <p>4a. Te honorant, te collaudant<br/>Sanctorum consortia,</p> | <p>1b. Mater alma, sponsa Dei,<br/>Summi regis filia.</p> <p>2b. Prophetarum sub figura,<br/>Sola mundo tam obscura<br/>    De regis miraculo.</p> <p>3b. Veri solis lumen patris.<br/>Virgo integerrima,</p> <p>4b. Et in terris plebs fidelis<br/>    Cum matre ecclesia.</p> |
|--|---|

- |   |   |
|---|---|
| 5a. Generantur et laetantur<br>In fide catholica.   | 5b. Veritatis agnitores<br>Veritatis gratia.  |
| 6a. Verbum patris incarnatum<br>Per de nobis est donatum<br>Sublimi de gloria,<br>Formam servi sumens sui<br>Carne ex virginea. | 6b. Tibi quidem nuntiavit<br>Gabriel ac prophetavit<br>Haec sacra mysteria,<br>Dicens Ave tam suave,<br>Prole fecundissima. |
| 7a. De te sumet Deus carnem,<br>Quo subsistunt omnia,   | 7b. Hinc post pauca reversurus<br>Triumphali victoria.  |
| 8a. Ergo pia, super cunctas<br>Mulieres benedicta,  | 8b. Salus nostra, vitae via,<br>Patens coeli janua,   |
| 9a. Nos dignare collocare<br>In coelesti gloria,  | 9b. Ubi semper collaetemur<br>Per aeterna saecula.  |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. —  
5a, 1 Generatur et laetatur. — 7a, 1 sumat. — 7a, 2 Qua subsistunt.

#### 72. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Reclamus venerandam<br>Mariae memoriam,                                      | 1b. Dei patris admirandam<br>Praedicantes gloriam.                         |
| 2a. Quam propheticus<br>chorus praenuntiavit,                                    | 2b. Plenam gratia<br>Gabriel salutavit:                                    |
| 3a. Parituram<br>Deum et hominem,<br>Salutem hominum,                            | 3b. Permansuram<br>Post partum virginem,<br>Reginam omnium.                |
| 4a. Stella solem,<br>Virgo prolem<br>Profert sine semine,                        | 4b. Virgo parit,<br>Sed nec perit<br>Castitas in virgine.                  |
| 5a. Servans integrum pudorem<br>Virga Jesse profert florem,<br>Lilia convallium; | 5b. Spina rosam germinavit,<br>Spinam rosa decoravit<br>Unicum per filium. |
| 6a. Qui de patre<br>Sine matre<br>Patri compar genitus,                          | 6b. Est de matre<br>Sine patre<br>Verus homo editus.                       |
| 7a. Per Mariam manna verum<br>Gens fidelis percipit,                             | 7b. Atque panem angelorum<br>Homo jam promeruit.                           |
| 8a. Quam Moyses<br>signat et Aaron,  | 8b. Ut insignis<br>praesignat Gedeon.                                      |
| 9a. Moyses in rubo,<br>Aaron in virga,<br>Gedeon in vellere:                     | 9b. Tres signant per tria<br>Te, virgo Maria<br>Digna Deum parere.         |
| 10a. Rubus igne,<br>Vellus rore,<br>Virga flore                                  | 10b. Illustratur,<br>Irrigatur,<br>Venustatur.                             |

- |  |  |
|--|--|
| 11a. Per te nubes<br>justum pluunt,                          | 11b. Colles lacte,<br>melle fluunt.                          |
| 12a. Coeli rorant<br>terrae pinguedinem,                     | 12b. Montes stillant<br>vitae dulcedinem.                    |
| 13a. Jam laetetur mons Sion,                                 | 13b. Quem infudit ros Hermon.                                |
| 14a. Terra nostra fructum dedit,                             | 14b. Coeli rorem dum susceperit,                             |
| 15a. Salvatorem geminans,                                    | 15b. Humum adaperiens.                                       |
| 16a. Ex te lux celebris<br>Fulsit in tenebris<br>Sedentibus. | 16b. Per Evam perditam<br>Per te pax reddita<br>Credentibus. |
| 17a. Stella maris,<br>Singularis<br>Cujus est virginitas,    | 17b. In quam venit<br>Et implevit<br>Uterum divinitas.       |
| 18a. Salve, spes nostra                                      | 18b. Post Deum sola.   |
| 19a. Ave, virtute fecunda,                                   | 19b. Nos a vitiis emunda.                                    |
| 20a. Et tuo pio filio<br>nos reconcilia,                     | 20b. Mater misericordiae,<br>Maria.                          |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. — 2b, 1 Et plenam. — 10b, 2 sq. Venustatur, irrigatur. — 17b, 1 In qua. — 19a, 1 virtutibus, wodurch eine Silbe mehr als Noten.

### 73. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Salutis exordium,<br>Radix salutaris,<br>In salutem gentium<br>Orta stella maris. | 1b. Lilium convallium, -<br>Virgo singularis,<br>Deitatis filium<br>Ex te expers paris. |
| 2a. Ave rosa speciosa,<br>Tu flos campi, tu formosa<br>Jesse virga nobilis.           | 2b. Gaude, virgo, coeli porta,<br>Per te mundo lux est orta.<br>Mater tam laudabilis.   |
| 3a. Salve, dulcis memoriae,<br>Fons vitae, vena veniae,<br>Coeli regis cella.         | 3b. Salve stellato solio<br>Nato cum Dei filio,<br>Mater et puella.                     |
| 4a. Dulcis, mitis et regina,<br>Duc nos salvos a ruina<br>Per tot mundi crimina.      | 4a. Transfer tecum, valeamus<br>Et cum nato gaudeamus<br>Super coelos Maria.            |

Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. A. — Orat. ms. Augustanum anni 1469 Clm. Monacens. 3702. B. — Miss. Zagrabienae imp. Venetiis 1511 C. — 1b, 4 expers maris AB; in dieser Lesart fehlt das Zeitwort, in der von C die nähere Bestimmung von expers. — 4b, 1 ut valeamus C. — 4b, 3 o Maria C.

74. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Salve, mater magnae prolis,<br>Per quam jubar summi solis<br>Obscuris emicuit, | 1 b. Salve, virgo, maris stella,<br>Per quam sedatur procella<br>Mortis et evanuit.     |
| 2 a. Salve, cella verbi Dei,<br>Ex qua orta lux diei<br>Lucem mundo praebuilt,      | 2 b. Salve, rosa spinis orta,<br>Per quam paradisi porta<br>Cunctis clausa patuit.      |
| 3 a. Salve, virgo Dei mater,<br>Ex te namque Deus pater<br>Verbo Deum genuit.       | 3 b. Salve, per quam nos redemit<br>Christus, mortem dum peremit<br>Et nobis condoluit. |
| 4 a. Salve, coelorum regina,<br>Per quam datur medicina<br>Judaeis et gentibus,     | 4 b. Salve, vitae reparatrix,<br>Facta reis illustratrix<br>Tenebris sedentibus.        |
| 5 a. Tu fac verbum incarnatum<br>Nos sentire complacatum<br>Tuis piis precibus,     | 5 b. Nos a culpa, nos a nece<br>Munda tua pia prece<br>Et peccati sordibus.             |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisien. (Arsen.) 135. Mit Mel.

75. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Salve, virgo, maris stella,<br>Salve, verbi Dei cella,<br>Salve, mater gloriae, | 1 b. Salve, vellus Gedeonis,<br>Novi rore Salomonis<br>Madefactum gratiae.           |
| 2 a. Salve, gemma virginalis,<br>Mulierum specialis<br>Flos in coeli curia,          | 2 b. Salve, rosa spina carens,<br>Salve, creatoris parens,<br>Salve, plena gratia.   |
| 3 a. Salve, stella, de qua natus<br>Est sol, vero obvelatus<br>Pallio mortalium,     | 3 a. Qui pro nobis carne tectus,<br>Licet vilis et abjectus,<br>Mundo dedit gaudium. |
| 4 a. Salve, regina coelorum,<br>Consolatrix miserorum,<br>Lapsorum refugium,         | 4 b. Tu nos lapsos consolare,<br>Pia veni, ne morare,<br>Conferens remedium.         |
| 5 a. Funde preces genitori,<br>Mater rerum creatori,<br>Deo Dei filia.               | 5 b. Facti sumus huic molesti,<br>Miserere, fac coelesti<br>Potiamur gloria.         |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. =  
Salve mater magnae prolis. — 5 b, 1 Facto sumus.

76. De beata Maria V.

- |                                       |                                     |
|---------------------------------------|-------------------------------------|
| 1 a. Salve, virgo regia,              | 1 b. Mundi salus unica,             |
| 2 a. Tu Dei<br>summi genitrix, Maria, | 2 b. Omnium<br>dominarum es domina. |

- |  |   |
|--|---|
| 3 a. Salve, porta,<br>quae viro clausa,<br>soli Deo principi<br>es aperta. | 3 b. Salve, mater<br>integra, virgo<br>gravida, super omnes<br>benedicta. |
| 4 a. Fluunt ex te aromata,<br>thus atque myrrha redolentia.                | 4 b. Progredieris ut aurora.<br>ut acies bene ordinata.                   |
| 5 a. Ex te Deus sumpsit carnem,<br>Qui creavit omnia                       | 5 b. Et qui morte sua tulit<br>cuncta mundi crimina.                      |
| 6 a. Tu pietatis<br>semper patens janua,                                   | 6 b. Nobis omnibus<br>sis semper propitia.                                |
| 7 a. Et tuum pro<br>omnibus natum roga,                                    | 7 b. Ut dimissis<br>culpae gratia sua                                     |
| 8. Concedat perennis<br>vitae gaudia.                                      |   |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135 mit Mel.

77. De beata Maria V.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Salve, virgo, sacra parens<br>Verbi Dei, pare carens<br>In sexu foemineo,   | 1 b. Cujus idem est ex alvo<br>Mundo natus, tamen salvo<br>Pudore virgineo.   |
| 2 a. Salve, porta paradisi,<br>Qui peccatis sunt elisi,<br>Ferens his solatium,  | 2 b. Et qui mente te fideli<br>Laudant jubilando, caeli<br>Levas ad palatium.   |
| 3 a. Salve, stella praevia<br>in mari vexatis,<br>Portum salutiferum<br>praebe naufragatis<br>Et vitam restituens<br>morti fere datis. | 3 b. Tibi famulantibus<br>semper es parata<br>Subvenire precibus<br>saepius vocata,<br>Quorum vita noscitur<br>in Christo fundata.  |
| 4 a. Salve, virgo virginum,<br>forma castitatis,<br>Exemplar egregium<br>verae caritatis<br>Et certum indicium<br>summae pietatis.     | 4 b. Gloriosa domina,<br>nostri miserere,<br>Quique tibi solvimus<br>dona, contuere,<br>Et quod minus egimus<br>nos, juva supplere. |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. mit Mel.

78. De beata Maria V.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Salve, virgo, vitae via,<br>Mundum mundans prece pia,<br>Maria per maria, | 1 b. Salve cara, culpa carens,<br>Sine pari, patris parens,<br>Per te patent omnia. |
|--|---|

- 2 a. Salve, salus salutaris,  
Salutando gravidaris  
Verbo sapientiae,
- 2 b. Salve, sola solem paris,  
Nec in partu defloraris  
Flore pudicitiae.
- 3 a. Salve, proles speciosa,  
Radix Jesse generosa,  
Domus, inquam, Domini,
- 3 b. Salve, lucis lux amoena,  
Luce lucens aliena,  
Lucem praebens homini.
- 4 a. Salve, viror, quae non vires  
Perdis, quamvis viro vires,  
Sed vires virtutibus.
- 4 b. Salve, viror sine viro,  
Viror virens modo miro,  
Non naturae viribus.
- 5 a. Salve, mater, te precamur,  
Cujus diem veneramur,  
Dignum reverentia,
- 5 b. Salve, placam nobis Christum,  
Ut perducatur chorum istum  
Ad coelorum gaudia.

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550.

### 79. De beata MV.

1. Stella maris ave,  
Gratia summa plena,  
Nobis, quaesumus, fave,  
Ne absorbeat nos gehenna.
- 2 a. Tu votum virginale  
Deo vovisti prima,  
In hac fove nos valle,  
Ne tendamus ad ima.
- 2 b. Tu Deum genuisti  
Sine virili semine,  
Nos, virgo mater Christi,  
Ab omni munda crimine.
- 3 a. De puro tuo sanguine  
Fecundat sanctus spiritus  
Te, nulla sub imagine  
Ad te demissus coelitus.
- 3 b. Tu per aurem concepisti  
Angelo te salutante,  
Dei ancillam te fecisti  
Isaia id prophetante.
- 4 a. Tu Deum et hominem  
Sola mundo generas,  
Quae mundanum turbinem  
Praeservata spreveras.
- 4 b. Sine culpa originali  
Te concepit mater Anna,  
Ex Joachim neque falli  
In hoc potest fides sana.
- 5 a. Prophetarum et patriarcharum  
Te genere et reges,  
Coelesti nos in arce  
Tuos fac esse greges.
- 5 b. Te cum prole magi colunt,  
Simeon senex et Anna  
Prophetizant et extollunt  
Periturae legis damna.
- 6 a. Dum visitas Elisabeth,  
Senem jam fecundatam,  
Haec fidens palam perhibet  
Te matrem Dei beatam.
- 6 b. Natus tibi subdebatur  
Et parebat ad mandatum,  
Et in nuptiis mirabatur  
Aqua vinum turba factum.
- 7 a. Natum custos et sodalis  
Praedicantem et docentem  
Bonis cunctis atque malis  
Sequebaris conviventem
- 7 b. Et in cruce post pendentem  
Mater virgo, martyr vera,  
Ad salvandam omnem gentem  
Sola in fide sincera.



- |   |  |
|---|--|
| <p>8a. Dum devicta surgit morte,<br/>Nulli nondum apparentem<br/>Lacta cernis cum cohorte<br/>Gloriosum et splendentem.</p> <p>9a. Mater demum cum orabas<br/>Sanctis cum apostolis,<br/>Pariter perseverabas<br/>Cunctis cum discipulis.</p> <p>10a. Virginitas et caritas<br/>Mundo pacem donarunt<br/>Profunda et tua humilitas,<br/>Quae cuncta superarunt.</p> | <p>8b. Te virginem Johanni<br/>Virgini commendavit<br/>Christus, cum poena immani<br/>Crimina nostra lavit.</p> <p>9b. Triumphans super aethera<br/>Et angelorum agmina<br/>Conjungis nova et vetera,<br/>Imperatrix et domina.</p> <p>10b. Stupenda tua miracula<br/>Solemniter recolimus<br/>Intra haec tabernacula<br/>Et jubilis extollimus.</p> |
|---|--|
11. Regina stirps Davidica,  
Divina plena gratia,  
Et soboles prophetica,  
Nos Dei vultu satia.

Miss. Dominorum Ultramontanorum imp. Veronae 1480. — 4b, 3 Joachimo. — 7b, 2 martyr aura. — 10a, 3 und 10b, 2 vermute ich, daß die ursprüngliche Lesart *tis humilitas* und *tis miracula* lautete.

80. De beata MV.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Stellam maris attendamus,<br/>Qui transire decertamus<br/>Babylonis flumina,</p> <p>2a. Ad hanc ergo dirigamus<br/>Cursum, ad hanc erigamus<br/>Mentes, manus, lumina,</p> <p>3a. Hinc celeuma praecinamus,<br/>Ac si portum [videamus]<br/>Jam adepti gaudia,</p> <p>4a. Omnis hera creaturae,<br/>Rationis et naturae<br/>Mutans privilegia.</p> <p>5a. Facta quaeque te mirantur<br/>Et factoris venerantur<br/>In te mirabilia,</p> <p>6a. Gratiarum plena donis,<br/>Complacare tibi pronis<br/>Nostra delens vitia,</p> | <p>1b. Haec ut nostram indefesse<br/>Cymbam regat, est necesse<br/>Per fluctus et fulmina.</p> <p>2b. Ut de lacu Babylonis<br/>Ad tranquillae visionis<br/>Nos educat culmina.</p> <p>3b. Ut in prima sonat laude:<br/>Ave mater, virgo gaude,<br/>Sexus omnis gloria,</p> <p>4b. At lex pavet et prophetae,<br/>Stupent, quia quae sunt de te,<br/>Sunt ineffabilia.</p> <p>5b. Quem pudica peperisti.<br/>Parens virgo perstitisti,<br/>Tuae prolis filia.</p> <p>6b. Et ut complacari velis.<br/>Verba demus Gabrielis:<br/>Ave plena gratia.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. mit Mel. — 1b, 3 flumina. — 5b, 1 paruisti.

81. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Virgo parens gaudeat,<br>virgo semper pura,<br>Parens sine corporis<br>et mentis laesura. | 1 b. Inaudita novitas,<br>nova genitura,<br>Qua nescit fragilitas<br>geniturae jura.           |
| 2 a. Virga typus virginis<br>sine stirpe florem,<br>Virgo sine semine<br>parit salvatorem.     | 2 b. Rubus in incendio<br>non sensit calorem,<br>Mater puerperio<br>non perdit pudorem.        |
| 3 a. Nulli viro Domini<br>porta reseratur,<br>In aeternum clauditur<br>hortus, fons signatur.  | 3 b. Radix Jesse germinat,<br>flore fecundatur<br>Septemque spirituum<br>munere ditatur.       |
| 4 a. Oritur in vespere<br>stella matutina,<br>Lumen fit in tenebris,<br>salus in ruina.        | 4 b. Aegris animantibus<br>stillat medicina,<br>Visitavit Dominus<br>mala vespertina.          |
| 5 a. Pater mittit nuntium,<br>nuntius auditur,<br>Virgo credit, deitas<br>carni cunitur.       | 5 b. Impregnatur genitrix,<br>genitor nescitur,<br>Sine matre filii<br>pater invenitur.        |
| 6 a. Triplex est substantia,<br>gemina natura,<br>Personalis unitas,<br>mira conjunctura.      | 6 b. Distant in hujusmodi<br>factor et factura,<br>Quae cadit sub numero,<br>ponderis mensura. |
| 7 a. Virgo nobis impetra<br>veniam Maria,<br>Interpella filium,<br>mediatrix pia;              | 7 b. Ne dum Dei curritur<br>mandatorum via,<br>Intercurrat gressibus<br>nostris phantasia.     |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. — Mit MeL.

82. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Te honorant superi<br>Matrem omnis gratiae,<br>Maria.      | 1 b. Ad te clamant miseri<br>De valle miseriae,<br>Maria. |
| 2 a. Audi voces, terge fletus,<br>Nos commenda filio,<br>Maria; | 2 b. Ut nos suo voce tua<br>Collocet in solio,<br>Maria.  |

Miss. Zagradiense imp. Venetiis 1511.

83. De beata Maria V.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Te collaudat coelestis curia,<br>Quae mater es et regis filia. | 1 b. Per te reis donatur venia,<br>Per te justis confertur gratia. |
|---|--|

- 2a. Ergo, maris stella,  
Verbi Dei cella  
Et solis aurora,  
3. Ut nos solvat a peccatis,  
Et in regno claritatis,  
Quo lux lucet sedula,  
Collocet per saecula.
- 2b. Paradisi porta,  
Per quam lux est orta,  
Natum tuum ora,

Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511.

84. De beata Maria V.

- 1a. Gaude, mater Sion, gaude,  
Corde, voce, manu plaude,  
In reginae coeli laude  
Attollens praeconium.
- 2a. Prima parens paradisum  
Clausit nobis, trusit visum,  
Facti sumus in derisum  
In conspectu hostium.
- 3a. Per hunc fructum Evae fructus  
Ex natura fit corruptus,  
Inde dolor, inde luctus  
Finibus terrestrium.
- 4a. Nobis diu exsulatis  
Dolet pater pietatis  
Et misertus desolatis  
Suum mittit filium.
- 5a. Hospitata Dei prole,  
Stellae maris mixto sole  
Gravidatur sine mole  
Virginale gremium,
- 6a. Sit hic fructus benedictus,  
Cedit hostis, ruit victus,  
Homo lapsus stat rescriptus  
In libro viventium.
- 7a. Virgo mater, o Maria,  
Virgo clemens, virgo pia,  
Virgo, per quam patet via  
Ad coeli palatium.
- 1b. Fac in die domus Dei  
Pari voto psallas ei,  
Per quam fentes, per quam rei  
Sunt nacti remedium.
- 2b. Stultus Adam, primus homo,  
Est expulsus Dei domo,  
Subit poenam, perdit pomo  
Patriam vitalium.
- 3b. Hoc te fructu condolentes,  
Obstupescunt nostri dentes,  
Paradiso pulsī fentes  
Subimus exsilium.
- 4b. Inclinavit majestatem  
Nostram ad humilitatem,  
In ancillae castitatem  
Assumens hospitium.
- 5b. Quo procedit specialis,  
Fructus aegris medicalis,  
Aufert morbos, confert mialis,  
Perimit daemonium.
- 6b. Benedicta radix Jesse,  
Nos vitali replens messe,  
Quae dat servos salvos esse  
Suum per obsequium.
- 7b. Pictatem imploramus,  
Proclamantes te rogamus,  
Confer nobis, quod optamus,  
Filiū propitiū.

Grad. ms. saec. 14. Cod. Parisiens. 904. — 6b, 5 qui.

85. De beata Maria V.

- 1a. Gaudens gaude, plebs fidelis,  
Et gaudere semper velis  
Nova ferens gaudia,
- 1b. Novum gaudium de caelis,  
Dictum ore Gabrielis,  
Nova mente nuntia.

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Dulci sonans symphonia .<br>Dulce profert dulcia                           | 2b. Sic dicens: Ave Maria,<br>Ave plena gratia.                                 |
| 3a. O Maria, gaude quia<br>Mater eris, virgo pia,<br>Cujus nunc es filia.      | 3b. Filia semper et mater<br>Eris ejus, cujus pater<br>Regnat super omnia.      |
| 4a. Virgo concipies<br>Et virgo paries<br>Deum et hominem,                     | 4b. Te mille milies<br>Coelorum acies<br>Laudabunt virginem.                    |
| 5a. O felix nuntius,<br>Quo Dei filius<br>In terris nuntiatur, .               | 5b. Quid nobis dulcius,<br>Non credit impius,<br>Ideo non laetatur.             |
| 6a. Gaude, virgo virginum,<br>Quae pie credidisti,                             | 6b. Gaude, salus hominum,<br>Quae pium genuisti.                                |
| 7a. Gaude cum gaudio   | 7b. Mater cum filio.  |
| 8a. Sion, plaude,<br>In virginis Mariae laude<br>Gaudens cum laetitia,         | 8b. Virgo, gaude<br>Teque laudans sine fraude<br>Gaudeat ecclesia,              |
| 9a. Te laudamus venerantes,<br>Voce, corde decantantes<br>Laudes et praeconia. | 9b. Audi tibi supplicantes,<br>Duc nos tecum congaudentes<br>Ad aeterna gaudia. |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Parisiens. 1139.

#### 86. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Coeli solem profert stella,<br>Dei prolem de puella<br>Sacro fonte gremio,    | 1b. Parit mater patre carens,<br>More miro virgo manens,<br>Deum gestans utero.       |
| 2a. Nata nati, mater patris,<br>Virgo tenet nomen matris,<br>Virgo, mater, filia. | 2b. Salve stella, mater solis,<br>Condens jubar tantae prolis<br>Intra sacra viscera. |
| 3a. Mundi salus, o Maria,<br>Porta coeli, vitae via,<br>Te rogantes adjuva,       | 3b. Tu lenimen sis in ira,<br>Tu in luctu nostra lyra,<br>Coeli, terrae domina.       |
| 4a. Tu juvamen sis, Maria,<br>Apud prolem mater pia<br>Forma nobis unica,         | 4b. Consolatrix miserorum,<br>Restauratrix perditorum,<br>Tu nos coelo subleva.       |

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592.

#### 87. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Coeli quondam roraverunt,<br>Nubes ex quo concreverunt<br>Concretaeque stillaverunt<br>Virginis in uterum<br>Mariae. | 1b. Res miranda, res novella,<br>Nam processit sol de stella,<br>Regem dum parit puella,<br>Viri thori nescia,<br>Maria. |
|--|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>2a. Ergo clemens et benigna<br/>Cunctorumque laude digna,<br/>Tuo nato nos consigna<br/>Pia per suffragia,<br/>Maria.</p> | <p>2b. Ut carnali, quo gravamur,<br/>Compede sic absolvamur.<br/>Ut soluti transferamur<br/>Ad coeli palatia.<br/>Maria.</p> |
|--|--|

Miss. Zagrabiense imp. Venet. 1511.

88. De beata Maria V.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Ave virgo, virga Jesse,<br/>Tui pia fac nos esse<br/>Consortes incendii,</p>      | <p>1b. Ave virgo, virga throni,<br/>Dans de petra Gedeoni<br/>Flammam sacrificii.</p>               |
| <p>2a. Ave virga summi ducis,<br/>Aquam de petra producis<br/>Sitienti populo,</p>       | <p>2b. Ave virga tollens luctum,<br/>Florem profers atque fructum<br/>Clauso ventris vasculo.</p>   |
| <p>3a. Virga vigil, natum Deum<br/>Vigilantem contra reum<br/>Praevenire crederis,</p>   | <p>3b. Virga, praeter quam ferendum<br/>Nil in via, nil quaerendum,<br/>Nam tu cuncta suggeris.</p> |
| <p>4a. Ave virga, quae procedis<br/>In conspectu summae sedis<br/>Ut fumus aromatum,</p> | <p>4b. Virgo, virga tam fecunda,<br/>Ubertate nos inunda<br/>Tantorum charismatum.</p>              |

Miss. ms. Parisiense 827 saec. 14. — 4b, 2 Libertate nos fecunda, korrigiert in jucunda sacrum [sic].

89. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Ave virgo, virga Jesse,<br/>Per quam patris verbum esse<br/>Nostrum nosse voluit,</p>   | <p>1b. Assumendo carnem puram<br/>Non declinans creaturam,<br/>Per quam pati potuit.</p> |
| <p>2a. Verbum patris concepisti,<br/>Patrem nata peperisti<br/>Mundo ferens gaudia,</p>        | <p>2b. Nata nati, mater patris,<br/>Modo miro nomen matris<br/>Habes viri nescia.</p>    |
| <p>3a. Mater coeli creatoris,<br/>Mater mundi redemptoris<br/>Crucis per opprobrium,</p>       | <p>3b. Quae compassa patienti<br/>Nunc conregnas cum regenti<br/>Coeleste imperium.</p>  |
| <p>4a. Super choros angelorum<br/>Exaltata, supernorum<br/>Ornata virtutibus,</p>              | <p>4b. Ibi preces atque vota<br/>Coram nato mente tota<br/>Fundis pro mortalibus.</p>    |
| <p>5a. Per te, Christe, splendor patris<br/>Nobis detur prece matris<br/>Peccatorum venia;</p> | <p>5b. Cum iniquis ne damnemur,<br/>Sed cum justis gloriemur<br/>In aeterna gloria.</p>  |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135 mit Mel.

90. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Ave, novi luminis<br/>Stella, promens radium,<br/>Quo nostrae propaginis<br/>Deletur opprobrium.</p> <p>2 a. Florens Jesse virgula,<br/>Vera veris primula,<br/>Salutem initians,</p> <p>3 a. Uterus virgineus,<br/>Fons hortorum, puteus<br/>Aquarum viventium,</p> <p>4 a. Domus aromatica,<br/>Quam arte mirifica<br/>Fecit summus artifex,</p> <p>5 a. Fons distillans oleum,<br/>Immo rorem melleum<br/>Per amoris fistulas;</p> <p>6 a. Mater, cujus viscera<br/>Penetrarunt vulnere<br/>Patientis filii,</p> | <p>1 b. Tu sola spes hominis,<br/>Tu nostrum refugium,<br/>In hora discriminis<br/>Placa nobis filium.</p> <p>2 b. Rosa semper vernula,<br/>Tota sine macula,<br/>Maculosos expians.</p> <p>3 b. Immo thronus aureus,<br/>In quo rex aethereus<br/>Coronavit filium.</p> <p>4 b. In qua Christus unica<br/>Sumpta carnis tunica<br/>Consecratur pontifex.</p> <p>5 b. Inde surgit balneum<br/>Purgans omne felleum<br/>Et peccati maculas.</p> <p>6 b. Lac profer et ubera,<br/>Nos a poenis libera<br/>Tremendi iudicii.</p> |
|---|---|

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. A. — Str. 2, 3, 4 in Miss. Zagrabiense imp. Veneliis 1511 als eigene Sequenz B. — 2 a, 3 Salutem nuntians B. — 2 b, 3 Maculas expians B.

91. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1 a. Ave mulier,<br/>sole rutilior,<br/>Celsa per aethera,</p> <p>2 a. Angelorum<br/>Tu es laetitia,</p> <p>3 a. Salve, civitas pneumatis<br/>undis laeticata,</p> <p>4 a. Ancilla<br/>Deitatis<br/>Electa.</p> <p>5 a. Te jubilatio,<br/>Mater eximia,</p> <p>6 a. Haec ergo, domina,<br/>Suscipe carmina,<br/>Parcendo nimia<br/>Diluens crimina.</p> | <p>1 b. Tecum filius,<br/>coelo sublimior<br/>Patris in dextera.</p> <p>2 b. Tu sanctorum<br/>Perpes es gloria.</p> <p>3 b. Quae sophiae nexibus<br/>septem colorata.</p> <p>4 b. Tranquilla<br/>Castitatis<br/>Dilecta.</p> <p>5 b. Te exsultatio<br/>Decet et gloria</p> <p>6 b. Te quoque praevia<br/>Diva clementia<br/>Sint nobis pervia<br/>Coeli palatia.</p> |
|--|--|

7. Ave Maria. Amen.

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135 mit Mel. — 1 a 1 Ave miles. — 5 b. 1 Dans exsultatio. — 6 a, 3 Parcens nimia.

92. De beata Maria V.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Ave, maris stella, Dei<br/>Mater alma, porta spei,<br/>Flos immensae speciei,<br/>Per te sperant vitam rei,<br/>Dat in signum hujus rei<br/>Hodiernae lux diei<br/>Laudes et preconia.</p>           | <p>1b. Triste fuit in Eva vae,<br/>Sed ex Eva formas ave,<br/>Vice versa sed non prave<br/>Intus celans in conclave<br/>Verbum bonum et suave,<br/>His, quos factum damnat grave,<br/>Desuper irradiat.</p>    |
| <p>2a. Gabriele nuntiante<br/>Concepisti austro flante,<br/>Porta clausa post et ante;<br/>Joseph stupet te praegnante,<br/>Sed angelo confortante<br/>Patet, quod sit re probante<br/>Via viris invia.</p> | <p>2b. Fecundata coeli rore<br/>Misso tibi pleniore,<br/>Virginali salve flore,<br/>Novo ritu, novo more,<br/>Dolo carens et dolore<br/>Gignis absque genitore<br/>Genitorem filia.</p>                        |
| <p>3a. Quod praecessit in figura,<br/>Nube latet sub obscura,<br/>Haec declarat genitura,<br/>Sic in matre virgo pura<br/>Pariendi vertit jura<br/>Fusa mirante natura<br/>Deitatis pluvia.</p>             | <p>3b. Pia prece placata natum<br/>Vim refragans tempestatum,<br/>Mundi, virgo, munda statum,<br/>Ne nos ducat in peccatum<br/>Vanus amor vanitatum,<br/>In te jacta cogitatum,<br/>Parens pariter nescia.</p> |
| <p>4a. Placata mare, maris stella,<br/>Verbi Dei facta cella,<br/>Mater simul et puella,<br/>Quae dulcore vincit mella,<br/>Tuum natum interpella,<br/>Ne involvat nos procella<br/>Et tempestas obvia.</p> | <p>4b. Omnis homo, sine mora<br/>Laude plena solvas ora,<br/>Ipsam colas, ipsam ora<br/>Omni die, omni hora,<br/>Sit mens simplex, vox sonora,<br/>Sic te gere, sic implora<br/>Ejus patrocinia.</p>           |

Grad. Franciscan. saec. 15. Cod. Pragense. I E 12. A. — Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisiens. 905. add. saec. 15. B. — 3a, 1 Fecundatam A. — 2b, 6 Gignens B. — 3a, 3 Hic decantat A. — 3b, 3 Munda virgo B. — 4a, 4 vincit A. — 4b, 2 solvens B. — 4b, 3 fehlt B. — 4b, 6 tergere B.

93. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Ave gloriosior,<br/>Quae quanto sublimior,<br/>Tanto fis humilior,<br/>Nos omnes humilia<br/>Psallentes voce pia.</p> | <p>1b. Maria beatior,<br/>Virtutibus ditior,<br/>Actibus perfectior,<br/>Perfice nos in via,<br/>Vivamus in patria.</p>          |
| <p>2a. Gratia profundior,<br/>Dignitate dignior,<br/>Caritate carior,<br/>Tua providentia<br/>Dele nostra vitia.</p>         | <p>2b. Plena pace purior,<br/>Prae cunctis praestantior,<br/>Auxilio promptior,<br/>Nos reos lascivia<br/>Resolve clementia.</p> |

- |  |  |
|--|--|
| 3a. Dominus potentior<br>Tecum est, quae sanctior<br>Clares et lucidior,<br>Suscipe praeconia<br>Moventes harmonia.  | 3b. Benedicta celsior,<br>Angelis tu pulchrior,<br>Super omnes potior<br>Mulieres, inclina<br>Ad nostra suffragia. |
| 4a. Et benedictus prior<br>Fructus ac salubrior<br>Ventris tui, clarior<br>Sole Jesus; Domina,<br>Dona nobis gaudia. | 4b. Virgo pretiosior,<br>Virginibus praeior,<br>Saphyris rutilior,<br>Cordium suspiria<br>Prome coeli curia.       |
| 5. Sancta speciosior,<br>Maria splendidior,<br>Mater mirabilior,<br>Deum pro nobis ora<br>Omni cum sanctis hora.     |  |

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592.

94. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Angelicae<br>Nos respice<br>O dignitatis domina,           | 1b. Cum filio<br>In solio<br>Coeli regnans per saecula.            |
| 2a. Dulcis Maria, vere dulcis,<br>Vere pia,<br>Vere mitissima. | 2b. Tota affluens pietate,<br>Clementia,<br>Tota melliflua.        |
| 3a. Tu flebili<br>Theophili<br>Culpaes ades propitia,          | 3b. Te auspice<br>A fornice<br>Surgit rea Aegyptia.                |
| 4a. O mater misericordiae,<br>O lapsorum spes unica,           | 4b. Votiva servorum hodie<br>Infer coelo suspiria.                 |
| 5a. Tu decus Israel,<br>Tu mundi gloria,                       | 5b. Nostro Emmanuel<br>Tu reconcilia.                              |
| 6a. Quem lactasti<br>Tua sacra mamilla,                        | 6b. Illa ejus<br>Membra fovens dulcia,                             |
| 7a. Mediatrix nostra,<br>Nobis hunc placam                     | 7b. In illa oramus,<br>Die tremenda.                               |
| 8a. Oblaturi hic adsumus<br>Deo patri<br>Tuae prolis pignora,  | 8b. Quorum virtute, quaesumus,<br>Reos munda,<br>Tremes corrobora. |
| 9a. Tu bona,<br>Tu spes nostra,<br>O Maria,                    | 9b. Tu clemens.<br>Amen dicat<br>Mens devota.                      |

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550.



95. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Alma virgo, florens rosa,<br>Regina mundi domina,<br>Maria;   | 1 b. Gemma splendens de crystallo,<br>Casta mater de filio,<br>Maria.                       |
| 2a. Nostrae voces symphoniae<br>Atque laudes melodiae<br>Suscipe, Maria,                                | 2b. Quae Dominum concepisti,<br>Virgo manens peperisti,<br>Genitrix Maria.                  |
| 3a. Virgo casta,<br>Nobis asta<br>In adventu filii,<br>Maria;   | 3b. Quae portasti<br>Et lactasti<br>Angelum consilii,<br>Maria.                             |
| 4a. Quae spectas ad solis ortum,<br>Nos transfers ad maris portum,<br>Ne nos fluctus obruant,<br>Maria. | 4b. Nos exaudi, maris stella,<br>Et pro nobis interpella,<br>Dum iudex advenerit,<br>Maria. |
| 5a. Virgo, candens lilium,<br>Nobis fer auxilium,<br>O Maria;   | 5b. Deprecare filium<br>Pro pace fidelium,<br>O Maria;                                      |
6. Ne damnemur supplicio  
Nobis tremendo iudicio,  
O Maria.

Miss. Sleswicense imp. in. Sleswic 1486.

96. De beata Maria V.

Alma Dei genitrix, aeterni luminis aula,  
Stirpis Davidicae soboles, sacra florida virga,  
Felix porta Dei, patriae repetitio sancta,  
Stella maris, regina poli, miseratio mundi,  
Virgo parens semperque manens intacta beata,  
Sola columba Dei, pulcherrima sancta Maria,  
Sola dicata Deo, per saecula concelebranda,  
Sol verus splendens per quam micat orbe sereno  
Pacis et aeternae sunt gaudia tradita mundo;  
Te petimus, domina, nobis succurre, Maria,  
Et famulis patriam clemens concede supernam,  
Coelis angelicam ut mereamur habere coronam.

Miss. Sleswicense imp. in. Sleswic 1486. .

97. De beata Maria V.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Ad laudem matris Dei,<br>Modulemur licet rei<br>Poscentes remedia.                                  | 1b. Haec nostrae forma spei,<br>Spes mirandae speciei,<br>Quae vernat in gloria.                  |
| 2a. Haec virtutis nutrimentum,<br>Spes solaris,<br>Sola laris<br>Terreni fiducia.                       | 2b. Stella maris quae vocaris,<br>Passus rectos<br>Et directos<br>Da, pacis suffragia.            |
| 3a. Sicut sidus naufrago<br>Fulgens dux in pelago,<br>Tu praeclara                                      | 3b. Mundi lux in tenebris,<br>Stella nitens celebris<br>Deo cara.                                 |
| 4a. In sede coelica<br>Residens haec mellica<br>Admitte cantica,<br>Virgo pia.                          | 4b. Paventi psallere,<br>Trementi pro scelere<br>Des ausus tu plausus<br>Veri vena.               |
| 5a. Tu coeli regina,<br>Mundi medicina,<br>Munda scelus<br>Nostrum piissima.                            | 5b. In mortis ruina<br>Nos ad vitam mina<br>Placans Deum,<br>Tu benignissima.                     |
| 6a. Cara parens, o Maria,<br>Patris parens, virgo pia<br>Nos in umbrae mortis via<br>Sedentes illumina. | 6b. Ut te nobis stella duce<br>Tui nati tuti cruce<br>Mereamur coeli luce<br>Per te frui, domina. |

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550.

98. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Contra casum primae sortis<br>Et necessitatem mortis<br>Dei sapientia            | 1b. Novo ordine naturae<br>Innovandae creaturae<br>Nova dat remedia.         |
| 2a. Dei virtus, patris verbum<br>Contra mortis jus acerbum<br>Caro fit in virgine,   | 2b. Verus non commixtionem<br>Passus nec divisionem<br>Deus est in homine.   |
| 3a. Jesum longe praesignatum<br>Patribus non occultatum,<br>Quem praevidebat Samuel, | 3b. Praedictum ab Isaia<br>David filia Maria<br>Concepit Emanuel.            |
| 4a. Rubus incombustus igne,<br>Virgo pudoris insigne<br>Non perdit in filio;         | 4b. Deum concipit innumpta,<br>Christum parit incorrupta<br>Novo privilegio. |
| 5a. Madefacto coelitus<br>Imbre sancti spiritus<br>Gedeonis vellere                  | 5b. Servatur integritas<br>Et datur fecunditas<br>Deitatis opere.            |

- |  |   |
|--|---|
| <p>6a. Irrigatur arida<br/>Fitque virgo gravida<br/>Germine fructifero;</p> <p>7a. Ave virgo singularis,<br/>Porta coeli, stella maris,<br/>Decus et spes unica,</p> <p>8a. Ave plena gratiae,<br/>Nostrae causa veniae,<br/>Virga Jesse florida;</p> <p>9a. Ave virginum regina,<br/>Stella fulgens matutina,<br/>Angelorum Domina;</p> <p>10a. Tu es spes fidelium,<br/>Salus et refugium,<br/>Ave mundi domina;</p> | <p>6b. Quidquid hic compluitur,<br/>Coelesti perfunditur<br/>Rore salutifero.</p> <p>7b. Lumen orbis salutare,<br/>Ne obvolvatur taetrum mare,<br/>Trahe nos ad coelica.</p> <p>8b. Fons misericordiae,<br/>Mater regis gloriae,<br/>Via vitae fulgida.</p> <p>9b. Sublevatrix oppressorum,<br/>Supplicantum servulorum<br/>Intende precamina.</p> <p>10b. Virginum castissima,<br/>Reginarum optima,<br/>Solve nostra crimina.</p> |
|--|---|
- Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Parisiens. 1139.

99. De beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Cursum sol iterans<br/>en nova tempora<br/>Et, quae concelebrat,<br/>dat nova gaudia<br/>Genti Christigenae,<br/>dum colit annua<br/>Novae salutis nuntia<br/>Dicens: Ave Maria.<br/>Mundi gemente machina<br/>Legatus aula coelica<br/>Te stirpe virgo regia<br/>Plenam salutem gratia<br/>Dicens: Ave Maria.</p> <p>2a. Imponesque Jesu<br/>dulcia nomina,<br/>Hic rex magnus erit<br/>regnaque fortia<br/>Regnatura reget<br/>saecla per omnia;<br/>O gemma candidissima,<br/>Ne timeas, Maria.<br/>Te terra, pontus, aethera<br/>Divam cantent per saecula,<br/>Tu nigra Ditis tartara<br/>Potens domabis femina,<br/>Ne timeas, Maria.</p> | <p>1b. Non conspecta tibi<br/>cognita lumina<br/>Incussere metum,<br/>sed Gabrielica<br/>Turbarunt animum<br/>dicta recondita,<br/>Hinc rursus haec dat fama:<br/>Ne timeas, Maria.<br/>Ne mens sit, inquit, anxia,<br/>Altissimus quam maxima<br/>Tibi paravit munera,<br/>Nam prolis altae munia<br/>Concipies, Maria.</p> <p>2b. Haec ut fiet, ais,<br/>res precor ardua?<br/>Uxor nulla viro<br/>praebeo munia.<br/>Virtus, inquit, erit<br/>flaminis inclita,<br/>Haec quae potens miracula<br/>Perficiet, Maria.<br/>Proinde proles unica,<br/>Quam tu dabis, puerpera.<br/>Dei feret vocabula,<br/>O stella fulgidissima,<br/>Ne timeas, Maria.</p> |
|--|--|

3a. Si cognata senex  
est sterilis tua,  
Jam fecunda gerit  
mascula pignora,  
Cur non haec eadem  
virgo tibi sacra  
Donet Dei potentia?  
Ne timeas, Maria.  
Quid ergo, felicissima,  
Adhuc moraris pendula,  
Profer cupita verbula,  
Para sacrata viscera,  
Ne timeas, Maria.

3b. En inquit Domini  
parva puerula,  
Fiant, quae statuit  
summa scientia,  
Haec prudens loquitur,  
fit quoque splendida  
Verbi paterni regia  
Mater Dei, Maria.  
Nunc eja, mater optima,  
Nobis relaxa debita  
Et haec canentes cantica  
Duc ad coeli palatia,  
Te poscimus, Maria.

Amen simul voces  
sonent et pectora.

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550.

#### 100. De beata Maria V.

1a. Ave mater redemptoris,  
Fons salutis, fons decoris,  
Cujus replet vis odoris  
Coelum, terram, maria.

1b. Salve forma pietatis,  
Templum summae deitatis,  
Cujus luce claritatis  
Illustrantur omnia.

2a. A delictis nos emunda,  
Sola virgo et fecunda,  
Prima talis, sed secunda  
Caret ordo saeculi.

2b. Decantantes nos exaudi,  
Serve datos tuae laudi,  
Ne fallacis hostis fraudi  
Tui subsint servuli.

3a. Aulam tuae castitatis  
Rex ingressus majestatis,  
Factus homo pro peccatis  
Restauravit omnia.

3b. Admiratur lex naturae,  
Quae sit hujus vis juncturae,  
Qua creator creaturae  
Suscepit humilia.

4a. Gabrielis ad decreta  
Primo pavens sed post laeta,  
Spreta mundi consueta  
Divino spiramine,

4b. Fide Deum concepisti,  
Patrem tuum peperisti,  
Cunctis vitam produxisti  
Ventris tui germine.

5a. Parens semper illibata,  
Nobis nata, nobis data,  
Ab antiquo praesignata  
Rubo, virga, vellere;

5b. Spinās nostras exstirpare,  
Nos regendo conservare,  
Sacro rore nos dignare  
Coelitus perfundere.

6a. Quam immensa, quam pusilla  
Tua proles haec est illa,  
Cujus crucis per vexilla  
Fugantur daemonia,

6b. Abrogantur jura mortis  
Et apertis vitae portis  
Reus ad primaevae sortis  
Redit coeli gaudia.

- |  |   |
|--|---|
| <p>7a. Per te, vitae [mater], rerum<br/>Cessat umbra, micat verum,<br/>O regina mulierum,<br/>Angelorum domina;</p>  | <p>7b. Tuum datur mox ad nutum<br/>Naufraganti litus tutum,<br/>Stella, cujus lux virtutum<br/>Vincit coeli lumina.</p> |
| <p>8a. Nulla pestis apprehendit,<br/>Nil expugnat, quos defendit,<br/>Quibus munimen impendit<br/>Tua miseratio.</p> | <p>8b. Ergo nostri miserere<br/>Facque lucis lumen vere<br/>Post hanc vitam nos videre<br/>In coeli palatio.</p>        |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. mit Mel.

### 101. De Beata Maria V.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Gaude, virgo gloriosa,<br/>Virgo munda, mundi rosa,<br/>Munda verbi mansio;</p>        |  |
| <p>2a. Tota munda nos emunda<br/>Et fecunda nos fecunda<br/>Christi puerperio.</p>           | <p>2b. Tu vitalis et regalis<br/>Virga virens virginialis<br/>Flore pudicitiae.</p>                |
| <p>3a. Fecundata novo rore,<br/>Nova fronde, novo flore,<br/>Fructu novae gratiae.</p>       | <p>3b. Ex hac virga viret ecclesia,<br/>Tacta floret coelesti pluvia,<br/>Regem parit gloriae.</p> |
| <p>4a. Virgam regis, virgam gregis,<br/>Virgam legis ex hac legis<br/>Prodiisse virgula;</p> | <p>4b. Virgam viae regiae,<br/>Virgam lucis praeviae<br/>Profert haec virguncula.</p>              |
| <p>5a. In hac virga magus cedit,<br/>Mare fugit et obedit,<br/>Unus caedit milia,</p>        | <p>5b. Et in fontem petra fluit.<br/>Et de coelo manna pluit.<br/>Sermo sonans omnia.</p>          |
| <p>6a. Virgo, virga salutaris,<br/>Singularis portus maris,<br/>Porta vitae praevia,</p>     | <p>6b. Nos immersos in profundo<br/>Duc in portum et a mundo<br/>Tua mundet gratia.</p>            |
| <p>7a. Pelle Scyllam et Sirenes,<br/>Purga mentem, purga renes,<br/>Planta morum germina</p> | <p>7b. Et de mentis area<br/>Lateres cum palea<br/>Et lutum elimina.</p>                           |
| <p>8a. Noster in te crescat zelus,<br/>Inconcuca stet phaselus<br/>Inter tot contraria,</p>  | <p>8b. Virga crucis remige<br/>Nos in portum dirige<br/>Per tot maris devia.</p>                   |
| <p>9a. Tolle malum, tende velum,<br/>Per te remum duc phaselum<br/>Ad coeli palatia;</p>     | <p>9b. Tu sis nobis mediatrix,<br/>Dux et cymbae gubernatrix<br/>Per maris naufragia.</p>          |
| <p>10a. Tu de lignis levigatis,<br/>Lignis Setim deauratis<br/>Arca, legis scrinium;</p>     | <p>10b. Tu vas mannae sanctioris,<br/>Vas dulcoris et honoris<br/>Habens privilegium.</p>          |

- |  |   |
|--|---|
| 11a. Tu, Maria, maris stella,<br>Virginalis virgo cella,<br>Mater matris, fundens mella<br>De fluentis gratiae.                          | 11b. Cum sis stella, da splendorem,<br>Cum sis virgo, profer florem<br>Castitatis et dulcorem<br>Maternae clementiae.         |
| 12a. In te Salomonis lectus,<br>Auro fulvo circumtectus,<br>Ex electis est confectus<br>Floribus convallium;                             | 12b. In te tactus caritatis,<br>Byssus candens castitatis<br>Et supernae majestatis<br>Regale triclinium.                     |
| 13a. Tu medulla condimenti<br>Ollae mortis aegrae menti,<br>Caecis splendor firmamenti,<br>Lapis basis fulcimenti,<br>Captivis refugium. | 13b. Tu laterna deitatis,<br>Tu lucerna veritatis,<br>Tu pincerna pietatis,<br>Nobis summae claritatis<br>Confer participium. |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Parisiens. 1139. —  
Mel.: Laudes crucis. — 11b, 2 Virgo virginalis.

---

III.  
DE SANCTIS.

---





## 102. De omnibus Sanctis.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Ad honorem sanctorum omnium,<br/>           Qui possident coeli palatium,<br/>           Devotio plaudat fidelium<br/>           Persolvendolaudispraeconium.</p>          | <p>1b. Oris voce, medullis cordium<br/>           Collaudemus regem et dominum,<br/>           Qui solus est rerum principium,<br/>           Qui caput est et finis omnium.</p> |
| <p>2a. A quo, per quem, in quo sunt omnia,<br/>           Ipsi salus, honor et gloria,<br/>           Laus perennis, pax et victoria<br/>           Et claritas et sapientia.</p> | <p>2b. Hunc collaudat in coeli patria<br/>           Beatorum felix concordia,<br/>           Huic laudem mater ecclesiae<br/>           Cum celebri reddit laetitia.</p>        |
| <p>3a. Veneremur illud eximium<br/>           Trinitatis summae sacrarium,<br/>           Templum Dei, rei remedium,<br/>           Peccatoris tutum refugium.</p>                | <p>3b. In conceptu nescivit vitium<br/>           Nec in partu doloris taedium,<br/>           Nec caloris passa incendium<br/>           Contra morem protulit filium,</p>      |
| <p>4a. Altissimi patris consilium,<br/>           Florem campi convallis lili-<br/>           um,<br/>           Angelorum et nostrum gaudium,</p>                                | <p>4b. In supernis a patre genitum,<br/>           Per quem constat, quidquid<br/>           est conditum,<br/>           Et a matre in terris editum.</p>                       |
| <p>5a. Haec est virga levitica,<br/>           Flore, fructu specifica,<br/>           Haec est urna mirifica,<br/>           Vero manna magnifica.</p>                           | <p>5b. Haec cella Salomonica,<br/>           Qua sedet sapientia,<br/>           Haec cella aromatica,<br/>           Virtutum plena gratia.</p>                                 |
| <p>6a. Hanc circumstant illa coelestia<br/>           Spirituum sanctorum agmina,<br/>           Principatus et dominantia,</p>   | <p>6b. Potestates, milium milia<br/>           Regi regum administrantia,<br/>           Sine fine sanctus clamantia.</p>  |
| <p>7a. Patriarchae, viri praecipui,<br/>           Fide pleni et bello strenui,<br/>           Huic sacro praesunt conventui,</p>   | <p>7b. Et prophetae virtute praediti,<br/>           Prius sancti quam ventre editi,<br/>           Sanctissimo non desunt coetui.</p>   |
| <p>8a. In hac praefulget curia<br/>           Fide et patientia,<br/>           Doctrina apostolica<br/>           Judicans cum justitia</p>                                      | <p>8a. Et martyrum constantia<br/>           Vincens tormenta varia,<br/>           Spernens mundana gaudia<br/>           Cum triumphali gloria.</p>                            |
| <p>9a. Sacerdotum confessio<br/>           Et confessorum concio<br/>           In hoc exsultant gaudio,</p>  | <p>9b. Quos carnis maceratio<br/>           Et longa cruciatio<br/>           Dignos fecit martyrio.</p>   |

10a. Illic epithalamium  
 Et novum agni canticum  
 Decantat chorus virginum  
 Rosas ferens et lilium.

10b. Ad quorum nos consortium  
 Per eorum suffragium  
 Ducat pater per filium,  
 Qui regnat in perpetuum.

Miss. ms. Tarantasiense saec. 15. Cod. Parisiens. 8889. — 2b, 1 col-  
 laudant, was Schreibfehler, was aber auch constructio *κατὰ οὐρεσιν* sein  
 kann. — 10b, 1 nos felicit.

103. De omnibus Sanctis.

1a. Gaudeat ecclesia  
 Per quatuor climata,  
 Mundi nunc laetitia  
 Circumfusa maxima.  
 2a. Domini innumera  
 Praedificentur opera,  
 Agantur solemnia  
 Sanctorum natalia.  
 3a. In primis sit posita  
 Mater Dei inclita,  
 Maria piissima,  
 Virgo beatissima.  
 4a. Angelorum agmina  
 Ante Deum posita,  
 In conspectu Domini  
 Ferre nostra cantica  
 5a. Patriarchae et prophetae,  
 Pleni Dei gratia,  
 Subvenite miseris  
 Vestra prece sedula.  
 6a. Apostoli, qui lumina  
 Mundo estis tradita,  
 Vestra est potentia  
 Ad laxanda crimina.  
 7a. Martyres fortissimi,  
 Veri testes Domini,  
 Qui pro Deo corpora  
 Dedistis ad verbera,  
 8a. Possidetis gaudia  
 Per aeterna saecula;  
 Hujus rei gratia  
 Laetetur ecclesia,  
 9a. Confessorum agmina,  
 Quae mundi luctamina  
 Atque carnis vitia  
 Superastis omnia,

1b. Temperentur organa,  
 Praeparentur omnia  
 Musicorum genera  
 Hac in die fulgida.  
 2b. Qui mundi pericula  
 Vicerunt per omnia,  
 Repellentes dulcia,  
 Non timentes aspera.  
 3b. Quae super angelica  
 Exaltata gaudia,  
 Residens in gloria  
 Supra coeli culmina.  
 4b. Vestra sunt officia,  
 Adducendi animas  
 Electorum tradita  
 Vobis est potentia.  
 5b. Johannes, qui Dominum  
 Prophetavit primitus  
 Monstravit et digito,  
 Nobis sit sollicitus.  
 6b. Vos precamur consona  
 Prece, quod et cantica  
 Sumatis cum gloria  
 Per ista solemnia.  
 7b. Contemnentis omnia  
 Mundi delectamina,  
 Unde super aethera  
 In superna curia  
 8b. Laudes et praeconia  
 Qui pro vestra gloria  
 Concinnamus inclita  
 Per ista solemnia.  
 9b. Martyribus similia  
 Meruistis praemia,  
 Ad vestra solemnia  
 Retorquete lumina.

- |   |   |
|---|---|
| <p>10a. Virginum sanctissima<br/>Cohors Deo proxima,<br/>Quae corporis verbera<br/>Et carnis incendia</p> | <p>10b. Vicisti duplicia<br/>Retinens insignia,<br/>Quia virgo candida<br/>Et martyr purpurea.</p>        |
| <p>11a. Sanctorum collegia<br/>Omnium, per merita,<br/>Quae habetis maxima,<br/>Per vos detur venia</p>   | <p>11b. Nobis, ut in pagina<br/>Vitae nostrae nomina<br/>Scribantur per omnia<br/>Saeculorum saecula.</p> |

Grad. ms. Patense saec. 16. Cod. Musaei Hungarici s. sign. A. — Grad. ms. Franciscan. in Csiksomlyo saec. 15. Cod. Musaei Hungarici 3. B. — Miss. ms. Carmeli Abenspergani saec. Clm. Monacens. 2503. C. — Grad. ms. Carmelit. saec. 15. Clm. Monacens. 23 027. D. — Grad. ms. Carmeli Parisiens. saec. <sup>15</sup>/<sub>16</sub> Cod. Mazarin. 465 (1388 C.) E. — Miss. Quinquecclesiense imp. Venetiis 1499. F. — 2a, 4 fehlt F. — 2b, 2 Invenērunt et gaudia E. — 2b, 3 et dulcia E. — 4b, 2 adducendas animas ABE. — 6b, 1 Nos precamur E. — 6b, 3 gratia E. — 6b, 4 fehlt E. — 8b, 1 precamina E. — 10a, 1 sacratissima E. — 10b, 1 Vicistis AB. — 10b, 2 Retinentes AB.

#### 104. De omnibus Sanctis.

##### 1. Sancta Dei mater, virgo benigna Maria,

- |   |  |
|---|--|
| <p>2a. Tu nos miseros adjuva<br/>atque Christi gratiam<br/>nobis impetra,</p>                               | <p>2b. Quae nos tua per merita<br/>devitare faciat<br/>cuncta crimina.</p>                           |
| <p>3a. Beate Michael,<br/>tu pro nobis<br/>majestatem<br/>superni regis invoca,</p>                         | <p>3b. Et cuncti coelibes<br/>simul cives,<br/>commendate<br/>nos Deo prece sedula.</p>              |
| <p>4a. O Johannes,<br/>Christi baptista,<br/>pro nobis indignis<br/>jugiter ora.</p>                        | <p>4b. Et tu, sancte<br/>Petre, dignare<br/>cuncta disrumpere<br/>nostra vincula.</p>                |
| <p>5a. Omnes Domini<br/>apostoli,<br/>solvite delicta nostra,</p>   | <p>5b. Quia vobis est<br/>a Domino<br/>potestas ad hoc concessa.</p>                                 |
| <p>6a. Nunc sancti martyres,<br/>qui vestra<br/>tradidistis corpora,</p>                                    | <p>6b. Pro Christi nomine<br/>libenter<br/>multa ad supplicia;</p>                                   |
| <p>7a. Vos quoque, confessores<br/>Christi et sacerdotes<br/>virginumque sanctorum<br/>turma praeclara,</p> | <p>7b. Precamini pro nobis,<br/>ne nos seducat hostis<br/>neque vana gloria<br/>nec laus humana.</p> |
| <p>8a. Omnes sancti Dei,<br/>verba pro nobis ferte pia;</p>   | <p>8b. Rogate Dominum,<br/>ut nostra deleat crimina.</p>   |

- |  |  |
|--|--|
| 9a. Ut nos evadere<br>faciat<br>inimici scandala<br>et inferni claustra, | 9b. Nos atque per suam<br>collocet<br>pietatem requiem<br>saltem in aliquam. |
| 10a. Ut libeat<br>nos dicere:<br>honor, laus et gloria                   | 10a. Sancta tibi<br>sit trinitas<br>per aeterna saecula.                     |

11. Amen dicant  
Simul cuncta.

Brev. et Miss. ms. Catalaunense saec. 14 in. Cod. Parisiens. (Arsen.) 595.  
Mit Mel. — Aufschrift: De omnibus sanctis et de sancto Alpino, von dem  
indes im Verlauf keine Rede ist.

### 105. De omnibus Sanctis.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Rex aeternae, rex coelorum,<br>Nos conserva, ne nostrorum<br>Culpaee graves delictorum<br>Trahant ad supplicia; | 1b. De hac valle lacrimarum,<br>De hac nocte tenebrarum<br>Trahe nos ad diem clarum<br>In aeterna gloria. |
| 2a. Precibus apostolorum,<br>Martyrum et angelorum<br>Petimus, quod meritorum<br>Augeatur gratia;                   | 2b. Confessores exorantes<br>Virginesque deprecantes,<br>Sanctos omnes invocantes<br>Ad nostra subsidia.  |
| 3a. Et tu, mater pietatis,<br>Virgo sanctae trinitatis,<br>Nos solutos a peccatis<br>Deo reconcilia.                | 3b. Jesu bone, te rogamus,<br>Ut te dante sic vivamus,<br>Quod post mortem habeamus<br>Requiem in gloria. |

Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309. — Mel. wohl  
Verbum bonum.

### 106. In festo omnium Sanctorum.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Alme Deus,<br>lux summa, quem luna,<br>sol et stellarum<br>corpora, angelica<br>et spiritalis potestas,<br>coelestis<br>atque aeterna | 1b. Atque terrae<br>producunt viscera<br>agrestia et<br>lata aeris regna<br>et maria et infera<br>adorant<br>atque trepidant. |
| 2a. Preces nostras atque vota<br>sume humilia,  | 2b. Quibus te laudantes voce<br>cantamus consona  |
| 3a. In solemnitate<br>omnium sanctorum<br>praecelsa<br>et cunctis populis fulgida.  | 3b. Qui tibi devoti<br>in aeterna vita<br>regnantes<br>festa frequentant praecipua.   |
| 4a. In hoc ergo collegio<br>nostra junge gaudia   | 4b. Atque simul fac nostras<br>numerari animas.   |

- |   |   |
|---|---|
| 5a. Ubi florigeras<br>sacra virgo Maria<br>coronas numerat                                    | 5b. Et apostoli jam<br>pretiosa sequuntur<br>agni vestigia.                             |
| 6a. Martyrum excelsa<br>per flammas<br>et per tormenta<br>multa munda sunt<br>defuncta agmina | 6b. Et pia pro nobis<br>dant vota<br>mittentes stolas<br>suas ad tuam<br>misericordiam. |
| 7a. Ubi resonat<br>in excelsis Hosanna  | 7b. Horum omnium<br>voce clara per cuncta.  |

8. Saecula.

Trop. ms. Aeduense saec. 11. Cod. Parisiens. (Arsen.) 1169. — 1 a, 2 summe. — 1 b, 6 colunt, adorant; ersteres überzählig. — 4 a, 1 In hoc ergo sancto collegio; auch nach Unterdrückung von sancto oder ergo bleibt eine Silbe Überschufs. — 6 a, 4 defuncta sunt. — 7 a, 1 resonant.

107. De ss. Patronis.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Honoremus corde toto<br>Patronorum voce, voto<br>Sedulo solemnia,               | 1b. Qui pro nobis regi divo<br>Incessanter Deo vivo<br>Offerunt precamina.         |
| 2a. Invocemus mente nexi<br>Nec cessemus genuflexi<br>Horum patrocinia,             | 2b. Nam nos genuere patres<br>Cohortando quasi fratres<br>Verbis apostolicis.      |
| 3a. Ergo grati jucundemur,<br>Onerosas ne cogemur<br>Perpeti molestias,             | 3b. Probris cunctis abdicemus<br>Et sincere deploremus,<br>Fragiles quod gessimus. |
| 4a. O vos coelici parentes,<br>Nostra corda, gressus, mentes<br>Ad Deum convertite, | 4b. Ut ab hoste simus tuti<br>Quovis, eja, nos adjuti<br>Vestris sanctis precibus. |
| 5a. In hac valle mereamur<br>Firmam pacem, deprecamur,<br>Tandem et perpetuam;      | 5b. Nobis velit quod praestare,<br>Qui cum patre conregnare<br>Novit et spiramine. |

Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. A. — Miss. Salisburgense imp. 1492. B.

108. In Translatione sanctorum

istius ecclesiae.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Sanctorum praeconio<br>Serviat devotio,<br>Laus et jubilatio<br>Nostri chori.  | 1b. Confessorum gaudio<br>Nostra sit confessio,<br>Decora laudatio<br>Conditori.   |
| 2a. Hi pastores ovium,<br>Hi doctores gentium<br>Fervent in officium<br>Caritatis. | 2b. Pellunt plebis vitia,<br>Fugant et daemonia,<br>Dantes beneficia<br>Sanitatis. |

- |   |   |
|---|---|
| 3a. Horum corda solida<br>Reddit fides vivida,<br>Caritate fervida<br>Verus amor.     | 3b. Horum vigent seduli<br>In salutem populi<br>Lingua, manus, oculi,<br>Cordis clamor. |
| 4a. Hi norma iustitiae,<br>Forma poenitentiae:<br>Pacis et concordiae<br>Condimentum, | 4b. Flores eloquentiae,<br>Fructum sapientiae<br>Dantes in ecclesiae<br>Nutrimentum.    |
| 5a. O beata concio,<br>Quam sine fastidio<br>Pascit Dei visio<br>Semptiterna.         | 5b. Nos precum suffragio<br>Vestra miseratio<br>Trahat ab exsilio<br>Ad superna.        |

Prosar. ms. S. Frambaldi Silvanectensis saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL. 4<sup>o</sup>. 45. Mel.: Mariae praeconio.

### 109. De sanctis Reliquiis.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Nos ad laudes<br>praeclara corona monet<br>Alleluja,                                    | 1b. Et pro crucis<br>vexillo canora sonet<br>Harmonia.                                       |
| 2a. Veneremur sanguinem<br>Et sacram arundinem<br>Salvatoris ;                              | 2b. Pro pannis sudario<br>Sonet et pro pallio<br>Laus in choris.                             |
| 3a. Adoremus lanceam<br>Et catenam ferream<br>Redemptoris ;                                 | 3b. Linteum et spongiam<br>Colamus et gloriam<br>Conditoris.                                 |
| 4a. Pars de Christi tumulo<br>Praesentata populo<br>Adoretur,                               | 4b. Consecrata tabula<br>Cum Moysi virgula<br>Honoretur.                                     |
| 5a. Lac et peplum virginis<br>Et thesaurus sanguinis<br>Percussae imaginis<br>Nos ditarunt, | 5b. Sacra Clemens, Blasius,<br>Praeco Christi praeuius<br>Et senex eximius<br>Praesentarunt. |
| 6a. Per haec magnalia<br>Repelle vitia<br>Nos, Christe, firmans<br>in gratia ;              | 6b. Ut post praesentia<br>Vitae praeconia<br>Tecum laetemur<br>in patria.                    |

Miss. ms. S. Ludovici Pisciacensis saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 608.  
Mit Mel. = Laetabundus.

### 110. De Apostolis.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Vos sal terrae, vos lux mundi,<br>Vos fecundi et facundi<br>Defluentis gratiae ; | 1b. Vos lucernae firmamenti,<br>Vos pincernae testamenti,<br>Vos Cherubim gloriae. |
|--|--|

- |   |  |
|---|--|
| 2 a. Vos in petra solidati,<br>Vectes sethim deaurati,<br>Claves sapientiae;        | 2 b. Vos priores, fundatores.<br>Protectores et rectores<br>Totius ecclesiae.        |
| 3 a. Vos per flatum vitae venti<br>De secretis firmamenti<br>Missi, mundi cardines, | 3 b. Orbem fertis et ardores.<br>Terrae motus et terrores,<br>Tonitrus et grandines. |
| 4 a. Ut rebelles per terrorem<br>Et electi per amorem<br>Ad te, Sion, redeant,      | 4 b. Ut per veros piscatores,<br>Non per pseudo-perversores<br>Rete vestrum subeant. |
| 5 a. Cum coelestis regni claves<br>Teneatis et conclaves<br>Clausas veri luminis,   | 5 b. Aperite nobis hortum<br>Hujus lucis et hunc portum<br>Summae plenitudinis.      |

Miss. ms. Senonense saec. 13. Cod. Parisiens. 10502. — Mel.: Hodiernae lux diei.

### III. De Apostolis.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Laus sit patri, laus sit proli,<br>Laus sancto spiritui,                         | 1 b. Uni Deo, vero soli,<br>Qui non potest minui.                                    |
| 2 a. Cujus sanctae majestati<br>Sancti sunt conspicui,                                | 2 b. Candidati, coronati,<br>Felices perpetui.                                       |
| 3 a. Sunt prae cunctis honorati<br>Principes apostoli,                                | 3 b. Qui pro Christo morti dati<br>Meruerunt recoli.                                 |
| 4 a. Patres illi primitivi,<br>Sicut hortum rigant rivi,<br>Rigaverunt populos,       | 4 b. Differentes in personis,<br>In coronis et in donis<br>Pares habent titulos.     |
| 5 a. Qui vicerunt hostem trucem<br>Promerentes summam lucem<br>Et coronas maximas,    | 5 b. Qui tulerunt suam crucem<br>Et sequentes Christum ducem<br>Posuerunt animas.    |
| 6 a. Quam decorus ille chorus<br>Duodenus, quam serenus<br>Adspectus in singulis,     | 6 b. Qui rectores et censores,<br>Qui pastores et doctores<br>Exstiterunt populis.   |
| 7 a. Jucundantes et laetantes,<br>Assistentes et praesentes,<br>Christe, tuis oculis, | 7 b. Venerandi, praedicandi,<br>Gloriosi, gratiosi,<br>Pollentes miraculis.          |
| 8 a. Hi sunt illi, per quos clavis<br>Paradisi traditur,                              | 8 b. Hi sunt illi, per quos navis<br>Ad portum deducitur.                            |
| 9 a. Hi sunt illi, quorum sanguis<br>Pro te, Jesu, funditur,                          | 9 b. Hi sunt illi, per quos anguis<br>Antiquus perimitur.                            |
| 10 a. Per hos coelum reseratur<br>Et per eos clauditur,                               | 10 b. Per hos culpa condonatur<br>Et reatus solvitur.                                |
| 11 a. Inter eos coronatus<br>Est Andreas, vir beatus,<br>Cujus festum colitur;        | 11 b. Quantus fuit iste, vide,<br>Quanta passus sit pro fide,<br>Satis intelligitur. |

- |  |  |
|--|--|
| <p>12a. Mortem tulit temporalem,<br/>Unde vitam immortalem<br/>Meruisse dicitur.</p>                         | <p>12b. O Andrea, pastor bone,<br/>Fac nos frui visione,<br/>Quae sanctis promittitur.</p>                           |
| <p>13a. O coelestes senatores,<br/>O bis seni seniores,<br/>Exaudite peccatores,<br/>Impetrantes veniam.</p> | <p>13b. Ut cum dies erit irae,<br/>Qua salvare, qua punire<br/>Debet iudex, tunc redire<br/>Possimus in patriam.</p> |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Paris. 1086. —  
11a, 2 und 12b, 1 steht der Name Andreas nur beispielshalber; ist das Fest  
mehrerer Apostel, fallen Str. 11 und 12 aus.

## 112. De Communi unius Martyris.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Laetabundi jubilemus,<br/>Laeta mente celebremus<br/>Martyrum solennia;</p>       | <p>1b. Qui in mundo morientes,<br/>Sed in Christo renascentes<br/>Ejus vivunt gratia.</p>      |
| <p>2a. Cujus testes exstiterunt,<br/>Dum mundana respuerunt<br/>Quaerendo coelestia;</p> | <p>2b. Quem ad mortem dilexerunt,<br/>Ipsam sequi voluerunt<br/>Per mortis compendia,</p>      |
| <p>3a. Crucem sibi bajulantes,<br/>Sola cruce gloriantes<br/>Audita sententia:</p>       | <p>3b. Si quis post me vult venire,<br/>Tollat crucem, si redire<br/>Vult ad coeli gaudia.</p> |
| <p>4a. Sic per multas passiones<br/>Ad supernas mansiones<br/>Gloriosi proceres</p>      | <p>4b. Festinabant sed in via<br/>Experti sunt ludibria,<br/>Vincula et carceres.</p>          |
| <p>5a. Flagellati, lapidati<br/>Et per multa cruciati<br/>Tormentorum genera,</p>        | <p>5b. Torcularis in pressura,<br/>Faex deorsum sed vis pura<br/>Manavit ad supera.</p>        |
| <p>6a. Ubi manet aeternale,<br/>Quod hic fuit temporale<br/>Carne tectum lubrica;</p>    | <p>6b. Ubi manent sublimati,<br/>Mira stola decorati,<br/>Securi de reliqua.</p>               |
| <p>7a. Sic, Vincenti, martyr Christi,<br/>Laureari meruisti<br/>Claro diademate,</p>     | <p>7b. Certa fruens visione,<br/>Quod palpamus ratione<br/>Sicut in aenigmate.</p>             |
| <p>8a. Unitatem trinitatis,<br/>Trinitatem unitatis,<br/>Quod est ineffabile,</p>        | <p>8b. Illud magnum sacramentum,<br/>Ad quod nullum argumentum<br/>Habemus probabile.</p>      |
| <p>9a. Manifeste contemplaris,<br/>Contemplando satiariis<br/>Interna dulcedine,</p>     | <p>9b. Qua refectus esurire<br/>Nullus potest aut sitire<br/>Tanto fruens lumine.</p>          |
| <p>10a. O concivis angelorum,<br/>Ad superna nos polorum<br/>Tuo fac precamine</p>       | <p>10b. Post hanc vitam sublevari,<br/>Quos hic cernis aggravari<br/>Multiformi crimine.</p>   |



11. Poscat iste  
Et tu, Christe,  
Largiaris Domine.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13. Cod. Parisiens. 1139. A. — Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. 13. Cod. Parisiens. 1086. B. — 6 a, 1 Ibi manet A. — 6 b, 1 Ibi manent. — 7 a, 1 Sic Stephane A: Hic Vincenti B. — Der Name steht nur beispielshalber, um das Versmaß zu ergänzen.

113. De Communi Confessoris.

1. Mundi aetate  
octava

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Florebunt duplici palma<br>beatorum agmina,                          | 2b. Corpore glorificato,<br>conregnante anima.                        |
| 3a. Induentur bina stola,<br>quicumque prius<br>meruerunt singulas;      | 3b. Fulgebunt justi tamquam sol<br>et velut clara<br>coeli luminaria. |
| 4a. Omnes omnia<br>scient, verba<br>cessabunt,<br>loquuntur mutuo corda. | 4b. Una omnium<br>Alleluja<br>vox est, quam<br>signant sequentia pura |

5. Voce canenda.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 146. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 830. B. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 831. C. — De sancto Leufredo AB; de communi C., wozu der Inhalt stimmt.

114. De ss. quatuordecim Auxiliatoribus.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Inter sanctos Deo gratos<br>Adjutores vos beatos<br>Praedicat ecclesia,           | 1b. Omnem mundum nam spevistis<br>Et pro Christo reliquistis<br>Vana ejus gaudia. |
| 2a. Hostis propter hoc antiquus<br>Saevit in vos ut iniquus,<br>Boni Christi milites, | 2b. Adversatur et grassatur,<br>Adulatur et minatur<br>Suos per satellites.       |
| 3a. Non vos poena terret dura,<br>Nec promissa frangunt plura<br>Servire daemonibus;  | 3b. Nempe fides vos firmavit<br>Atque Christus confortavit<br>Vincere in omnibus. |
| 4a. Eja Christi pugnatores,<br>Qui non victi sed victores<br>Fuistis in proelio,      | 4b. Sitis memores nunc mei<br>Nec non ecclesiae Dei<br>Egentis auxilio.           |
| 5a. Repellatur ob vestrorum<br>Interventum meritorum<br>Bellarum nequitia,            | 5b. Error omnis evellatur,<br>Quod injustum est, tollatur,<br>Vigeat justitia.    |
| 6a. Salus aegris, quies fessis,<br>Sit solamen et oppressis<br>Spesque lapsis veniae, | 6b. Ad se Deus nos clamantes<br>Per vos audit, fluctuantes<br>In valle miseriae.  |

7. Laus his pro patronis Deo,  
Per quos nobis spes in eo  
Jam datur certissima.

Miss. Paulinorum imp. Venetiis 1537.

115. De XXIV Senioribus.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Omnis homo laudes pangat,<br>Hac in domo nemo frangat<br>Laudis personantiam,   | 1 b. Mundis modis ac discretis<br>Canat rite sine metis<br>Decoris fragrantiam.  |
| 2a. Qua luxerunt nisu toto<br>Viri sancti, fide, voto,<br>Quater seni proceres;   | 2b. Grate Christus quos elegit,<br>Donis sanctis dum compegit<br>Toti orbi celebres.   |
| 3a. Noster olim incolatus<br>Animarum dum reatus<br>Stabat in periculo,   | 3b. Culpis nostris est prostratus<br>Rex pro nobis homo natus<br>Crucis in patibulo.   |
| 4a. Qui dum surgens morsu urgens<br>Inferorum moenia<br>Coelos scandit, iter pandit<br>Tergens nostra crimina.  | 4b. Dextram patris summi tenens<br>Dulciori jubilo,<br>Votis ratis suos regens<br>Hic in orbe nubilo.                                  |
| 5a. Hinc in Pathmos dum illuxit<br>Caro suo, hunc instruxit<br>De futuris statibus:   | 5b. Girant thronum tunc sedentis<br>Quater seni sacrae gentis<br>Junctis animalibus.   |
| 6a. Agnus Dei hinc occisus<br>Est praeclarus ibi visus<br>Septem habens cornua,   | 6b. Is a cunctis adoratur,<br>Flexo corde veneratur<br>Septem gerens lumina.   |
| 7a. Cui dantur reserari<br>Et in orbem praedicari<br>Septena hic signacula,   | 7b. Hic effecit nos regales<br>Delubri sacerdotales<br>Collustrans cordis invia.   |
| 8a. En electi stant perfecti<br>Citharis et phialis,<br>Macerati, castigati,<br>Toto corde inflammati,<br><br>Caritatis jaculis.                          | 8b. Ut adorent et exorent<br>Pro terrenis miseris,<br>Ut admittat et acceptat<br>Tamquam gratum nostrum<br>flatum<br>Sacri adoraminis. |
| 9a. O electi et beati,<br>Tonsurati ac comati,<br>Nunc et semper Christo grati,<br>Simus vobis commendati.  | 9b. Ut laetanter operemur,<br>Exultantes veneremur,<br>Caritate protendemur<br>Ac vobiscum gratulemur.                                 |
| 10. Hamus quo non rumpitur<br>Piscium in captura,<br>Nec vestis conscinditur,<br>Quae sortis capit jura,<br>Quo sacrum Alleluja<br>Non clauditur mensura. |  |

Miss. Lubicense imp. s. l. et a. — 7a, 1 Qui dantur. — 7b, 1 regalis.

116. De XXIV Senioribus.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Collaetemur venerantes<br>Citharoedas resonantes<br>Preces et citharizantes<br>In conspectu Domini,         | 1 b. Senos quater seniores,<br>Agni throni assessores,<br>Interventu defensores<br>Fideli sunt homini.            |
| 2 a. Deum Sabaoth videntes,<br>Quem verentur omnes gentes,<br>Hunc affantur inquietes<br>Omnia per saecula:      | 2 b. Dignus es, qui corruisti<br>Libri clausi nece tristi<br>Deo nos et redemisti<br>Solvere signacula.           |
| 3 a. Plenas odoramentorum<br>Phialas, quae sunt justorum<br>Preces, habent, quas polorum<br>Deo semper indicant; | 3 b. Laeti cujus majestatem<br>Contemplantur, hi primatem<br>Plasmantem ver et aestatem<br>Et momenta praedicant. |

Miss. ms. bibl. publ. Olomucens. I. III. 9. saec. 15. — 1 a, 2 sonantes. — 1 b, 3 defensores felicit. — 3 a, 2 Citharas quae. — Mek. wohl Verbum bonum.

117. De sancto Achatio.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Digne recoluntur digni<br>Christi martyres benigni,<br>Portitores sacri signi,<br>Sancti decem milia.     | 1 b. Ex terrestribus coelestes<br>Fiunt crucifixi testes,<br>Spernunt terrenorum vestes<br>Fulti Dei gratia. |
| 2 a. Convenerunt cum Romanis<br>Caesares cum viris vanis,<br>Immolare diis profanis<br>Pro vincendis hostibus. | 2 b. Eufratenses, Gadereni,<br>Ut rebellione pleni<br>Armis bellicis sereni<br>Stabant in agminibus.         |
| 3 a. Motis castris Adrianus<br>Et Antonius Romanus<br>Adversariorum manus<br>Fugiunt de proelio.               | 3 b. Militares autem viri<br>Perstiterunt instar tyri<br>Novem mille actu miri<br>Misso coeli nuntio.        |
| 4 a. Juvenis his apparebat,<br>Qui audiri se monebat<br>Et in fide instruebat<br>Alloquens Achatium.           | 4 b. Lacum hostes incurrebant,<br>Nam ab angelo timebant,<br>Qui resistere volebant<br>Petunt praecipitium.  |
| 5 a. Interemptis inimicis<br>Erat angelus amicis<br>Verbum vitae dans felicis<br>Velut Jesus medius.           | 5 b. Ararat tunc pervenerunt<br>Angelique descenderunt,<br>Septem numero fuerunt,<br>Unde stupor nimius.     |
| 6 a. Mira illic narrabantur,<br>Hinc peccata plangebantur,<br>Angelique ferebantur<br>A sanctorum oculis.      | 6 b. Ad futura animati<br>Quaerebantur hi beati,<br>Principesque sunt turbati<br>Cum eorum populis.          |
| 7 a. Reges quinque demandantur,<br>Ut sic sancti occidantur,<br>Veniunt et trucidantur<br>Diris cruciatibus.   | 7 b. Tunc in martyrum agone<br>Sicut Christi passione<br>Ante punctum horae nonae<br>Signa patent omnibus.   |

8a. Idolis non offerebant,  
Unde nullae convertebant,  
Vitam cruce finiebant  
Pares suo Domino.

9a. Viros istos invocemus,  
Horum festum celebremus,  
Passionem pertractemus  
Habituri gloriam.

8b. Recte tales recoluntur,  
Quorum preces non pelluntur  
Sed in coelis audiuntur  
Sine finis termino.

9b. Martyres pro Jesu passi,  
Nobis qui nunc sumus bassi,  
Ne deficiamus lassi  
Impetrate gratiam.

Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae 1540. — 4b, 2 ist Nam ergänzt.

### 118. De sancto Achatio.

1a. Laudemus Dominum  
Devotis cordibus,  
Qui mentes hominum  
Sanctorum mortibus  
Illustrat hodie.

2a. Coronas aureas  
Sacer exercitus  
Gestat, qui spineas  
Tulit, et gemitus  
Cedit in gaudium.

3a. Hi, quorum corpora  
Jesu stigmatibus  
Fulgent in eboris  
Tincta coloribus  
Auro vernantibus,

4a. Vox sonat coelitus  
Missa, qua protinus  
Firmat divinitus  
Petita Dominus,  
Amator martyrum.

5a. Mox multitudine  
Stipatus adfuit,  
Rex suos lumine  
Milites induit  
Inaestimabili.

6a. Pergunt ad patriam,  
Palma victoriae  
Venustant regiam  
Coeli militiae  
Excelsi laudibus.

1b. Quos in patibulis  
Tortos atrociter  
Transfert a vinculis  
Carnis subtiliter  
Ad thronum gloriae.

2b. Sic ignominia,  
Claram memoriam,  
Moeror laetitiam  
Confert et gloriam  
Crucis opprobrium.

3b. Fixi stipitibus,  
Cruenti sanguine,  
Salutem omnibus  
Benigno fame  
Poscunt fidelibus.

4b. Venite, inquit,  
Regnum percipite,  
Si erit cupiens,  
Vota perficite,  
Vos invocantium.

5b. Egressi milites  
De tabernaculis  
In fide divites,  
Confossi jaculis  
Cum duce nobili

6b. Cernentes facie  
Decorem regium  
Post statum gratiae  
Aeternum gaudium  
Praestent supplicibus.

Miss. ms. Misnense imp. Lipsiae s. a. — Mel. wohl Mittit ad virginem.

119. De sancto Aegidio.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Aegidio psallat coetus<br>Iste laetus,<br>Alleluja,                              | 1b. Quem perfudit primo flore<br>Miro more<br>Lux divina.                       |
| 2a. Sanctus signis floruit,<br>Quia pure coluit<br>Creatorem;                        | 2b. Karolus quod fregerat,<br>Prece munda reparat<br>Ad vigorem.                |
| 3a. Ad desertum evolat,<br>Nudus crucem bajulat<br>Salvatoris;                       | 3b. Ibi carnem macerat,<br>Ibi pugnans superat<br>Vim ardoris.                  |
| 4a. Dum sic Christo militat,<br>Turbam fratrum incitat<br>Ad aeterna;                | 4b. Quibus ipse praefuit,<br>Apta loca petiit<br>Ter quaterna.                  |
| 5a. Eja, pater pauperum,<br>Noxas dele scelerum,<br>Ignem quo tartareum<br>Evadamus; | 5b. Tuis fer auxilium,<br>Ut post hoc exsilium<br>Tecum Dei filium<br>Videamus. |
| 6a. Ora pro tuorum<br>Statu filiorum<br>In conspectu<br>summi regis;                 | 6b. Ut nos a peccatis<br>Mundans perpetratis<br>Donet esse<br>dextrae gregis.   |

Miss. ms. Mellicense 979. saec. 15. A. — Miss. ms. Hilariense X anni 1458. B. — Miss. ms. Lincense F g 10. saec. 15. C. — Miss. ms. S. Floriani III 9. saec. 15. D. — Miss. ms. S. Floriani XI 470. saec. 15. E. — Miss. Pataviense imp. 1503. F. — 5b, 2 Ut nos post hoc. F. — B hat dieselbe Sequenz zum zweitemmale als de s. Leonhardo. 2b, 1 lautet hier Francia quod fregerat.

120. De sancto Albano.

1. Eja gaudeas caterva  
ovanter, eja.

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Pange sonora<br>Domino cantica,<br>illius enarra<br>et magnalia. | 2b. Ex toto corde,<br>ex tota virtute,<br>ex tota anima<br>Christo jubila. |
| 3a. Qui est sanctorum vita,<br>virtus, gloria,<br>praemium, corona.  | 3b. Cujus pietas larga<br>comit aurea<br>Albanum laurea.                   |
| 4a. Cujus praecellens gratia<br>expurgavit<br>ejus crimina.          | 4b. Ejus et cornu per saecula<br>exaltavit<br>in magna gloria.             |
| 5a. Cum enim percepisset<br>diva munera,                             | 5b. Sanctae religionis<br>dona mystica,                                    |

- |  |   |
|--|---|
| 6a. Aspernens idolatram<br>regem sprevit idola.  | 6b. Et cum jam duceretur<br>mortis ad supplicia,  |
| 7a. Prece fugans flumina,<br>Per fluvii glareas<br>sicca transivit semita;   | 7b. Pari quoque gratia<br>Grata fontis munera<br>terra produxit arida.  |
| 8a. Post haec inclita,<br>Albane<br>pater, opera<br>Linquens haec terrestria,<br>Scandis cum gloria<br>coelorum dindima. | 8b. Te nunc petimus,<br>patrone,<br>prece sedula,<br>Qui es nostra gloria,<br>Solve precum votis<br>servorum scelera. |
| 9a. Exora pro gente Anglica<br>et pro ejus<br>pace aeterna   | 9b. Et nobis tibi supplicibus<br>vitae vera<br>impetra gaudia.  |

10. Ibi sonat jugiter  
Alleluja.

Miss. ms. Sarisberienae saec. 15. Cod. Bibl. Rossianae s. sign. A. — Miss. ms. Oxoniense anni 1384 Clm. Monacens. 705. B. — Miss. ad usum insignis ecclesiae Sarum imp. Parisiis 1521. C. — 2a, 3 sq. et enarra ABC. — 2b, 2 et ex tota ABC. — 3b, 3 Albani A. — 4b, 1 saecula A. — 7a, 2 glareas B. — 7b, 2 fortis munera A. — 8a, 2 sq. pater Albane B. — 10, 1 Ubi sonat.

121. De sancta Alda.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Plebs fidelis laetetur,<br>Aldae psallat praeconia          | 1b. Festumque festivetur,<br>Exstat digna memoria.            |
| 2a. Haec est virgo tota decora,<br>mente casta, corpore pudica; | 2b. Stella rutilans ut aurora,<br>operibus penitus coelica.   |
| 3a. Turma salutet humilis,<br>Nam hanc laudant coelestia;       | 3b. Ave, virgo laudabilis,<br>Alda repleta gratia.            |
| 4a. In te diffusa clementia<br>Christi fuit, qua gloriaris;     | 4b. Elegit te sua gratia,<br>Throno suo nunc coronaris.       |
| 5a. Prole quondam nobilis<br>Fideque clarior,                   | 5b. Supra modum humilis,<br>Cunctis benignior.                |
| 6a. Una quinque prudens<br>Ex virginibus,                       | 6b. Caritate pollens<br>Et virtutibus.                        |
| 7a. Sponsa sponso grata,<br>Pulchra, formosa,                   | 7b. Hocque consecrata<br>Es gloriosa.                         |
| 8a. Mater pauperum, affictorum<br>Solamen et vera spes reorum,  | 8b. Preces pias sume servorum<br>Servans ab insidiis malorum, |

9. Post hanc miseriam  
Coeli des gloriam.

Miss. ms. Sangenovefanum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBI Fol. 1; add. saec. 15.

122. De sancto Alexio.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Haec est dies digna cultu,<br/>In qua de mundi tumultu<br/>Dei fruiturus vultu<br/>Conscendit Alexius;</p>             | <p>1b. Legi mentis repugnantem<br/>Legem membrorum calcantem,<br/>Quem et hostem superantem<br/>Traxit Dei filius.</p>    |
| <p>2a. Namque manens impollutus,<br/>Natum virginis secutus,<br/>Postquam literis imbutus,<br/>Copulatur virgini;</p>         | <p>2b. Quam suppressa voluptate<br/>Christi fervens caritate<br/>Monita virginitate<br/>Reliquit certamini.</p>           |
| <p>3a. Hunc nobilitas ornavit<br/>Naturae, quam superavit<br/>Ejus et plus decoravit<br/>Mente morum claritas;</p>            | <p>3b. Despecto fuco decoris<br/>Vani fastuque tumoris,<br/>Crucem ferre salvatoris,<br/>Quem cogebat caritas.</p>        |
| <p>4a. Qua devictus abnegavit<br/>Semetipsum, conculcavit<br/>Mundum, carnem subjugavit<br/>Servire spiritui.</p>             | <p>4b. Cum renuntians nativo<br/>Solo motus flatu divo<br/>Dominatur sensitivo<br/>Pauper appetitui.</p>                  |
| <p>5a. Annis decem septem junctis<br/>Exsul et ignotus cunctis<br/>Acriter dolore punctis<br/>Degebat parentibus;</p>         | <p>5b. Per imaginis laudari<br/>Vocem cum coepisset, mari<br/>Se commendans ignorari<br/>Vult mutatis gressibus.</p>      |
| <p>6a. Hinc latens tot annis actis<br/>Domo patris dormit, tactis<br/>Stupore perpensis factis<br/>His parentum mentibus.</p> | <p>6b. Aeger non remansit unus,<br/>Quin reduxit voti munus,<br/>Tangens hoc dum fertur funus<br/>Ejectis daemonibus.</p> |
| <p>7a. Aeternorum jam possessor,<br/>Beatissime confessor,<br/>Sis pro nobis intercessor<br/>Apud regem gloriae;</p>          | <p>7b. Quo dignetur liberare<br/>Culpis vinctos et salvare<br/>Tuae vacantes praeclarae,<br/>Tam dulci memoriae.</p>      |
| <p>8a. Christe, da, quem veneramur<br/>Et quem laudare conamur,<br/>Ut vestigia sequamur<br/>Spretis vanitatibus.</p>         | <p>8b. Mente pia deprecamur,<br/>Mundi curis eruamur<br/>Condigneque compungamur<br/>Pro nostris reatibus</p>             |
| <p>9a. Sicque nostra praesens vita,<br/>His terrenis irretita,<br/>Hic expediatur ita<br/>Virtuosis actibus,</p>              | <p>9b. Ut a viciis mundati<br/>Moribusque decorati,<br/>Veste carnis spoliati<br/>Jungamur coelestibus.</p>               |

Miss. Ultrajectinum imp. Parisiis. 1507 A. — Miss. Ultrajectinum imp. Antverpiae 1540 B. — 1b, 1 Regi mentis B. — 2a, 3 Naturalis quam B. — 4a, 1 Quam devictus AB; l.: devinctus? — 5b, 4 unitatis gressibus A; vitatis gressibus B. — 6a, 2 Domo patris B. — 7b, 4 Tam ac dulci AB; eines von beiden. — Mel. offenbar dieselbe wie die der Sequenz Digne recolendi digne.

123. De sancto Alphego.

1. Ad haec colenda gaudia,

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Quae Alphegi triumphalis<br>adornat victoria,  | 2b. Mellifuae trinitati<br>persolvamus cantica.  |
| 3a. Cujus fidei clara<br>assumens insignia   | 3b. Ad nihilum redegit<br>maligni molimina.  |
| 4a. Dum fortis patiendo<br>mortem ad usque suam<br>odivit animam,  | 4b. Ut vitam in aeternam<br>mortis jure calcato<br>custodiret eam.   |
| 5a. Omni plenus gratia<br>multa dedit insignia<br>Virtutum verbi semina<br>spargens semper in credula<br>carnalium corda.                            | 5b. Sed plebs veri nescia<br>agens mente lapidea<br>Sancta Dei famina<br>spernit ac omnimodam<br>prorumpit in iram.                            |
| 6a. Stat martyr ovans,<br>Jesum adorat,<br>cujus vicem gerebat,<br>pro illo mori gaudebat.   | 6b. Oves commendat<br>Christo servandas<br>sanguine sternens viam,<br>qua graderetur ad vitam.   |
| 7a. Passus obscura carceris<br>antra, vincla,<br>dira tormenta,  | 7b. Saxorum inter vulnera<br>sanctam coelo<br>reddidit animam.   |
| 8a. Quid ergo saevis,<br>invida pestis,<br>pestis antiqua,   | 8b. A moriente<br>Christo devicta<br>atque calcata?  |
| 9a. Virtus hunc sustollet<br>ad gloriam, * *<br>te invidia * *<br>trahit ad poenam. * *<br>Ecce quam laeta * *<br>cantat haec turma<br>martyris alma | 9b. Trophaea dignam<br>Christo dans doxam,<br>qui tulit palmam.<br>Ecce nunc, quem murmur<br>non fregerat,<br>aeternaliter<br>vivit et regnat. |
| 10a. Per haec tua felicia,<br>pater, rogamus gaudia,   | 10b. Quae hodie omnifica<br>tibi cessit potentia,  |
| 11a. Aufer a nobis meritam<br>mali auditus sententiam,   | 11b. Qua confundentur superba<br>omni cessante superbia,   |


12. Et fac nobis perviam  
regni coelestis januam.

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. mit Mel. —  
5a, 3 sq. haben eine Silbe Vorschlag. — 8a, 3 pestas.

124. De sancto Amando.

1. Gloriosi Amandi, eja,

- |   |  |
|---|--|
| 2a. Sacerdotis<br>annua solemnia<br>Celebremus<br>celebri laetitia. | 2b. Ex illustri<br>natus est prosapia<br>Sanctus puer,<br>Dei plenus gratia. |
|---|--|





- 3a. *Literarum*  
adamavit studia,  
Mundi hujus  
spernens lenocinia.
- 4a. *A serpente*  
liberavit Ogiam  
Signo crucis  
adhuc puer insulam.
- 5a. *Conservavit*  
puerum a daemone,  
Quem perdere  
volebat in flumine.
- 6a. *Plagis caesus*  
fixusque patibulo  
Fur salvatur  
ipsius oraculo.
- 7a. *Lepram mundat,*  
curat paralyticos,  
Caecos, claudos  
sanans ac phreneticos.
- 8a. *Vitae tandem*  
intrare felicia  
Post laborem  
meruit palatia.
- 9a. *Nobis ergo*  
per ejus suffragia  
Pia Christi  
succurrat clementia,
- 3b. *Suspirabat*  
ad aeterna gaudia,  
Electorum  
imitans vestigia.
- 4b. *Pastorali*  
decoratus infula  
Declaratur  
per multa miracula.
- 5b. *Nautas salvat*  
de mortis angustia  
Commotaque  
praesul sedat maria.
- 6b. *Verbum vitae*  
gentibus anuntians  
Revocavit  
ab errore miserans.
- 7b. *Admiranda*  
ejus sunt insignia,  
Quae referri  
non possunt per omnia.
- 8b. *Jam Amandus*  
adamanda gaudia  
Cum electis  
possidet et praemia.
- 9b. *Ut mundatis*  
a peccati macula  
Porta coeli  
fiat nobis patula.
10. *Et cum sanctis*  
post vitae pericula  
Gaudeamus  
per aeterna saecula.

Miss. ms. Amandi saec. 14. Cod. Paris. 1101. Mit Mel.

125. De sancta Anna.

1. *Testamento veteri*  
Anna fuit genita  
Et de stirpe regia.
- 2a. *Haec matrona nobilis*  
Diu fuit sterilis  
In magna tristitia.
- 3a. *Patriarchis edita,*  
Anna, luce praedita  
In perenni gloria,
- 2b. *Cui fructum contulit*  
Et sic luctum abstulit  
Divina clementia.
- 3b. *Deprecamur, inelita,*  
Ut per tua merita  
Nobis detur gratia.

- |   |   |
|---|---|
| 4a. Anna, parens<br>Labe carens,<br>Rubens rosa<br>Speciosa<br>Florens inter lilia,                 | 4b. Matrem Christi<br>Genuisti,<br>Tua prece<br>Nos a nece<br>Tuearis noxia.                              |
| 5a. Ecce lucis officina,<br>Aegris spes et medicina,<br>Tua proles et regina<br>In coelesti patria, | 5b. Ipsa cunctis jam praelata<br>Per te sumens haec precata<br>Nostra fiat advocata<br>In Dei praesentia. |

Miss. ms. Sarisberienae saec. 15. Cod. Bibl. Rossianae s. sign. A. — Miss. ms. Oxoniense anni 1384. Clm. Monacens. 705 B. — Miss. ms. Ultrajectinum saec. 15. Cod. Bollandian. 119 I. C. — Miss. ad usum insignis ecclesiae Sarum imp. Parisiis 1521. D. — Hymn. et Sequent. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14667 E. — Str. 4 sqq. fehlen E.

### 126. De sancta Anna.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Hac in die plebi piaae<br>Praesens esto Annae festo,<br>Christe, fons laetitiae; | 1b. Eximia o Maria,<br>Pulso maesto adsta presto,<br>Dum cantatur hodie.           |
| 2a. Anna ignorante Heli<br>Se commendans Deo caeli<br>Samuelem peperit,              | 2b. Pater mittens Annae natum<br>Cum chirographo ad cognatum<br>Raphaelem reperit. |
| 3a. Anna Rachuelis nata,<br>Septem viris viduata,<br>Tobiae conjungitur,             | 3b. Quo potito jure dato<br>Piscis corde concremato<br>Nam daemon depellitur.      |
| 4a. Harum Anna in figura<br>Viri sui carens cura<br>Dolet, quod sit sterilis,        | 4b. Vir redit ex inspirato<br>Dei coeli de mandato<br>Et fit inde fertilis.        |
| 5a. Benedictus Annae fructus,<br>Nam multorum solvit luctus<br>Pariendo filium,      | 5b. Qui antiquum inimicum<br>Stravit reos et vocavit<br>Ad coeli palatium.         |

Miss. Sleswicenses imp. in Sleswic 1486.

### 127. De sancta Anna.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Adest venerabilis<br>Annae dies bonae,<br>Lux multum amabilis<br>Tam piaae matronae. | 1b. Haec Joachim homini<br>Dei uxor data,<br>Matrem gignit Domini<br>Viro fecundata.  |
| 2a. Pulchra generatio<br>Castae caritatis,<br>Sterilis opprobrio<br>Carens cum beatis.   | 2b. Ipsius memoria<br>Erit immortalis,<br>Certantium praemia<br>Vincens in tot malis. |

- |   |  |
|---|--|
| 3a. Vir bonae mulieris<br>Se novit beatum,<br>Non sic de adulteris,<br>Quae maculant stratum. | 3b. Haec Deum timentium<br>Sors et pars est bona,<br>Cujus est consortium<br>Inter Dei dona. |
| 4a. Gratia est etiam<br>Uxor super gratiam<br>Sanctam pudorata,                               | 4b. Quae habitu sobria<br>Est et verecundia<br>Tacita sensata.                               |
| 5a. Non ex tortis crininibus,<br>Auro, gemmis, vestibus,<br>Sed fide ornata,                  | 5b. Sanctificatione<br>Atque dilectione<br>Ei sociata.                                       |
| 6a. Haec est illa coeli cella,<br>De qua exit maris stella<br>His, quos umbra tenuit.         | 6b. Quae compescat mundi bella<br>Et nos servet a procella,<br>Nam mare intumuit.            |

Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Parisiens. 8884.

### 128. De sancto Ansuero.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Pangat chorus laetabundus<br>Nova laudum dramata,  | 1b. Nam ad coelos mittit mundus<br>Per tormenti stigmata  |
| 2a. Novas rosas et formosas,<br>Florentes virtutibus,  | 2b. Nunc Ansuerum, testem verum,<br>Cum suis comitibus.   |
| 3a. Zelo Christi pugnant isti<br>Pro fide non segniter,  | 3b. Hi periti sic attriti<br>Pugnaverunt fortiter.  |
| 4a. Lapidati, cruentati<br>Sistunt in certamine,   | 4b. Sic prostrati coelo dati<br>Sunt, eorum animae.   |
| 5a. Furit fremens paganorum<br>Gens et atrocissima,<br>Quae contrivit sic sanctorum<br>Crudeliter corpora. | 5b. Angelorum mittit chorum<br>Christus de coelestibus,<br>Qui sanctorum tollit horum<br>Animas corporibus. |
| 6a. Quod cernentes circumstantes<br>Currunt ad interitum,  | 6b. Ut cum sanctis possint tantis<br>Possidere meritum.   |
| 7a. Quorum prece nos a nece<br>Post haec transitoria   | 7b. In eorum juvent chorum<br>Gaudere cum gloria.   |

Miss. Ratzeburgense imp. s. l. et a. A. — Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. B. — Mel. offenbar O beata beatorum. — 1a, 2 dragmata B. — 3a, 1 Christi praesignati A. — 4b, 1 Sic prostrati coelo datae B gegen den Reim, wie prostratae gegen den Sinn wäre.

### 129. De s. Antonio Eremita.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Inter choros supernorum<br>Adsint chori monachorum<br>Ad laudem Antonii,             | 1b. Sit laus concors nunc eorum,<br>Sit sollemnis nunc amborum,<br>Dies haec est gaudii. |
| 2a. Hunc Aegyptus virum profert,<br>Et hunc mundo Christus offert<br>In exemplum populi, | 2b. In aetate puellari,<br>Sed in virga regulari<br>Mare transit saeculi.                |

- |  |   |
|--|---|
| 3a. Vitam solitariam,<br>Summam et eximiam,<br>Primus demonstravit                   | 3b. Vita fulgens eminus,<br>Plures ad se protinus<br>Fratres advocavit.           |
| 4a. Hic Elias pari motu<br>Cibo panis, aquae potu<br>Contentus et pallio,            | 4b. Zelo legis roboratus<br>Pharaonis equitatus<br>Mergit legis fluvio.           |
| 5a. Doctos vincit, reges monet,<br>Fratres docet, ut vox sonet<br>Ad Dei magnalia;   | 5b. Hostes pellit, morbos sanat<br>Et ex ejus lingua manat<br>Dei laus et gratia. |
| 6a. Ejus beneficio<br>Salutem instructio<br>Multis operatur,                         | 6b. Mundum replet germine,<br>In coelorum culmine<br>Tandem sublimatur.           |
| 7a. Latet lumen in laterna,<br>Joseph agnus in cisterna,<br>Sed praevisor omnium     | 7b. Ossa servat Elisaei,<br>Ut arderet amor Dei<br>In corde fidelium.             |
| 8a. O quam dignum, quam ac-<br>ceptum<br>Apud Deum est adeptum<br>Honoris fastigium, | 8b. Junctus sanctis eminenter<br>Quo nos juvat affluenter<br>Virtutum suffragium. |
| 9a. Ergo laudes Antonio<br>Chorus clamet egregio<br>Mente prona,                     | 9b. Surgat sursum affectio,<br>Gaudens poscat haec concio<br>Dei Dona.            |
| 10a. Et tu, pater, sic adesto<br>Tuo gregi semper praesto<br>Mente semper sedula,    | 10b. Et in mundo nos conducas,<br>Et a mundo nos educas<br>Victuros per saecula.  |

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477. A. — Miss. ms. Paulinorum saec. 14. Cod. Gottwicens. 79 B. — Mel. offenbar: In coelesti hierarchia. — 7a, 3 praevisor AB somnium B.

### 130. De sancto Antonio.

#### 1. Canentes salvatori laudes, resonemus gratias,

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Famulo qui suo<br>vitam dedit Antonio,   | 2b. Viveret qua semper<br>gaudens aeterno gaudio.  |
| 3a. Gaudet nunc in coelis,<br>in terris<br>calicem bibens Domini,  | 3b. Dominum qui nudus<br>secutus,<br>suppressus crucis oneri.  |
| 4a. Ut levius scanderet,<br>spreverat cuncta<br>transitoria,   | 4b. Ne retro deprimerent<br>virtutum alas<br>auri pondera.   |
| 5a. Hic Domini jugum tulit<br>ab infantia<br>et imitans Joseph<br>pallium Aegyptiae<br>herae reliquit manibus. | 5b. Hic stabilem fide servat<br>innocentiam,<br>dum visitans Paulum,<br>quae vidit, horrentia<br>fugat verbis non manibus. |

- |  |  |
|--|--|
| <p>6a. Hic lupam sequitur<br/>viam nesciens,<br/>qua Paulum quaerere<br/>veniret;</p> <p>7a. Comperto itaque Paulo<br/>conversatur,<br/>visis gestis melioratur,<br/>muneribus<br/>spiritualibus ditatur.</p> <p>8a. Duplicati ut salvemur<br/>et corpore et spiritu,<br/>hunc deprecemur:</p> | <p>6b. Sed Deo creditur,<br/>quonam ducatur,<br/>ut meliorem se<br/>sentiret.</p> <p>7b. Et corvus adest, prandium<br/>praeparatur,<br/>medius panis integratur,<br/>militibus<br/>Christi annona duplicatur.</p> <p>8b. Pater, senex reverende,<br/>tu nos defende, tuere<br/>ab igne gehennae.</p> |
|--|--|
9. Tu nobis subsidio  
sistas in praesidio  
toto venerabilis aevo.

Miss. ms. Bremense saec. 15. Cod. Hafniens. Gl. kgl. 188. A. — Miss. Hamburgense imp. Argentini 1509. B. — Miss. Ratzeburgense imp. s. l. et a. C. — 1, 1 Cantemus salvatori AB. — 3b, 3 oneri ABC fordert die Endassonanz. — 4a, 3 temporalia B. — 5a, 1 Sic Domini hic jugum B. — 5b, 1 Hinc stabilem hunc fide B. — 6a, 4 venerat B. — 6b, 2 ducitur A. — 6b, 4 videat B. — 7a, 3 gestis aedificatur B. — 8b, 2 defende, tuere et libera ABC überzählig.

### 131. De sancto Arigio.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. In honorem beati praesulis<br/>Concinamus vocibus, modulis,<br/>Cujus festum hodie<br/>Dat diem laetitiae.</p> <p>2 a. Dum tenuit sedem Nivernicam,<br/>Acquisivit plebem non mo-<br/>dicam<br/>Deo, perquam fidem catholicam<br/>Augmentavit.</p> <p>3 a. In Ligeris positus flumine<br/>Post obitum sine regimine<br/>Cereorum solito lumine<br/>Decoratur.</p> <p>4 a. Iste sanctus fit tanti no-<br/>minis,<br/>Sic amicus divini numinis,<br/>Quod per illum macula criminis<br/>Relaxatur.</p> | <p>1 b. Hic vir prudens fuit Arigius,<br/>Cunctis mitis, satis egregius,<br/>Praesulatus apice<br/>Stans urbis Nivernicae.</p> <p>2 b. Quendam suo virum officio<br/>Stantem, mersum flumine<br/>Nervio,<br/>Nutu Dei sic voluntario<br/>Suscitavit.</p> <p>3 b. Ascendendo contra ripariam<br/>De Nivernis venit Disesiam,<br/>Qua corpore ditans ecclesiam<br/>Tumulatur.</p> <p>4 b. Summum ergo precemur Do-<br/>minum,<br/>Ut obtentu ejus precaminum<br/>Remissio nobis peccaminum<br/>Tribuatur.</p> |
|--|---|

Grad. ms. Niveruense anni 1532. Cod. Parisiens. 908. Mel.: Mariae conceptio.

132. De sancto Arigio.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Exsultemus jubilando<br>Cum vocis melodia       | 1 b. Arigii celebrando<br>Festiva solemnna.             |
| 2 a. Sorde carens fuit plenus<br>Spirituali gratia,  | 2 b. Mundo parens alienus<br>Ab omni lascivia.          |
| 3 a. Sine remis aquae cursum<br>Scandens in riparia, | 3 b. De Nivernis venit sursum<br>Ac fulgens ecclesia.   |
| 4 a. Ergo laudes demus isti<br>Cum cordis laetitia,  | 4 b. Et pro nobis regnum Christi,<br>Ubi pax et gloria, |

5. Interpellat jugiter.

Grad. ms. Nivernense anni 1532 Cod. Parisiens. 908. — Mel.: Sospitati dedit aegros.

133. De sancto Balsemio.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Lux surgit annua,<br>Quae dat melliflua<br>Nobis remedia,       | 1 b. Prece continua<br>Captent occidua<br>Tanta suffragia.         |
| 2 a. Cum poena stabilis<br>Non sit sed labilis,<br>Parens coelestia, | 2 b. Homo passibilis<br>Fit invincibilis<br>Divina gratia.         |
| 3 a. Qui Deum metuit,<br>Illum non terruit<br>Ulla nequitia,         | 3 b. Nec ei nocuit,<br>Dum sibi floruit,<br>Mundana gloria.        |
| 4 a. Et quanto gravior<br>Atque rabidior<br>Exstat saevitia,         | 4 b. Tanto constantior<br>Atque securior<br>Fit ad supplicia.      |
| 5 a. Unde Balsemius,<br>Martyr eximius,<br>Relicta patria            | 5 b. Mori vult carius<br>Quam sit ulterius<br>In hac miseria.      |
| 6 a. Galliam properat,<br>Ibique reserat<br>Diva mysteria,           | 6 b. Mortem accelerat<br>Ensemque tolerat<br>Pergens ad gaudia.    |
| 7 a. Hinc de miraculo,<br>Quod fit in populo,<br>Stupet gens impia,  | 7 b. Nam hoc spectaculo<br>Caput in patulo<br>Fert manu propria.   |
| 8 a. Tunc corpus rapitur,<br>Puteo truditur,<br>Sed super omnia      | 8 b. Spiritus tollitur<br>Coeloque ducitur<br>Spernens terrestria. |
| 9 a. Puella flebilis,<br>Caeca sed nobilis<br>Et regis filia,        | 9 b. Patri amabilis,<br>Currit credibilis<br>Quaerens auxilia.     |

- |   |  |
|---|--|
| 10a. Martyr extrahitur,<br>De faece tollitur<br>Superans lilia, | 10b. Odor egreditur,<br>Balsamum vincitur<br>Mira fraglantia.  |
| 11a. Lympha prosiliit,<br>Virgo se liniit<br>Fide non dubia,    | 11b. Ad lumen rediit,<br>Patrem repetiit<br>Pulsa moestitia.   |
| 12a. Sicut remedio<br>Dulci tripudio<br>Gaudet vicinia,         | 12b. Sic de martyrio<br>Cum patrocinio<br>Gaudet ecclesia.     |
| 13a. Hinc unanimiter<br>Colit et dulciter<br>Ejus solemnia,     | 13b. Ut queat pariter<br>Frui perenniter<br>Christi clementia. |
| 14a. Cum idem arbiter<br>Dabit aequaliter<br>Omnibus praemia,   | 14b. Et nos alacriter<br>Clamemus jugiter<br>Pium Alleluja.    |

Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 17329.

#### 134. De sancta Barbara.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Novae laudes harmoniae<br>Coeli clangant hierarchiae<br>Pro Barbarae victoria,       | 1b. Quae processit ut aurora,<br>Solem prima lucis hora<br>Noctis ducens de scoria.     |
| 2a. Flos ex ramo pullulavit,<br>Qui radicem suffocavit,<br>Nata patris conamina          | 2b. Praesidisque Marciani<br>Cordis furias vesani<br>Vincens et cruciamina.             |
| 3a. Clauditur et custoditur<br>Turri, dupla quae vestitur<br>Fenestrula lucifera;        | 3b. Una, petit, ut addatur,<br>Ut sic trinitas discatur,<br>Mens hominum salvifera.     |
| 4a. Pater gladium minatur,<br>Fugit, ut non occidatur,<br>Pro tunc electa puritas;       | 4b. Fons et marmor signo crucis<br>Signis fulgent, dono lucis<br>Carceralis obscuritas. |
| 5a. Perquam moerens consolatur<br>Et ad bella confortatur<br>Poenarum imminentium,       | 5b. Genitor in eam stridet,<br>Dum subsannat et deridet<br>Deos et deas gentium.        |
| 6a. Ut non nubat, clam abscedit,<br>Crine tracta dolens redit<br>Ad genitoris atria;     | 6b. In locustas grex pastoris<br>Commutatur proditoris,<br>Videns miratur patria.       |
| 7a. Verberata demammatur,<br>Vincta nervis perforatur,<br>Usta martello tunditur;        | 7b. Sanat Christus vulneratam,<br>Vestit angelus nudatam,<br>Gentis error confunditur.  |
| 8a. Hanc demum dum decollavit,<br>Patrem fulmen coeli stravit<br>Mittens Cocyti glareis, | 8b. Et sic granum trituratam<br>Est invectum depuratum<br>Coelicolarum areis.           |

- |  |   |
|--|---|
| <p>9a. Qua transacta tempestate<br/>Vestis fulget claritate,<br/>Quae non formidat tineam.</p> | <p>9b. Stolum sanguine rubratam<br/>Gestat, nive dealbatam,<br/>Aureolam virgineam.</p>         |
| <p>10a. Sub qua laudes citharizat,<br/>Agnō carminum hymnizat<br/>Novorum resonantia,</p>      | <p>10b. Coram quo pro nobis munde<br/>Plenam phialam effunde<br/>Precum, virgo, fraglantia.</p> |
| <p>11a. Posce nobis adjuvamen<br/>Et instaure sublevamen<br/>In stadio pugnantibus,</p>        | <p>11b. Bravium ut consequamur<br/>Et coronam mereamur<br/>Promissam triumphantibus.</p>        |

Miss. ms. Cremifanense 368 saec. 15. A. — Miss. ms. Lambacense 214 saec. 15. B. — Miss. ms. S. Floriani XI 388. saec. 14. C. — Miss. ms. S. Floriani XI 385. saec. 15. D. — Miss. ms. Mellicense 979. saec. 15. E. — Miss. ms. Voraviense 6 saec. 15. F. — Miss. ms. Palat. Vindobonens. 1839 saec. 15/16. G. — Missale Pataviense imp. 1503. H. — 3b, 3 salutifera H. — 8a, 3 Cotyci ABC; cochytis G; cochites EH; cortici F. — 10a, 3 resonantiam AH.

### 135. De sancta Barbara.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Laetabundus<br/>Barbarae resonet chorus,<br/>Alleluja;</p>                               | <p>1b. Quam jucundus<br/>De Jesse produxit thorus,<br/>Res miranda.</p>                                  |
| <p>2a. Tam formosa claruit,<br/>Quod velut respenderit<br/>Sol de stella.</p>                   | <p>2b. Christum solem induit<br/>Per fidem, in qua fuit<br/>Semper clara.</p>                            |
| <p>3a. Nec donis nec precibus<br/>Nec diris terroribus<br/>Fit corrupta,</p>                    | <p>3b. Sicut Christus voluit,<br/>Eundem excoluit<br/>Pari forma.</p>                                    |
| <p>4a. Petit indulgentiam<br/>Pro suis et veniam<br/>Valle nostra;</p>                          | <p>4b. Genitoris impio<br/>Decollatur gladio<br/>Carne sumpta.</p>                                       |
| <p>5a. Ad coelum deducitur,<br/>Pater ejus uritur,<br/>Gens pagana cernitur<br/>Esse caeca.</p> | <p>5b. Ad sepulchrum fugiunt<br/>Virginis, qui sentiunt<br/>Dolores, dum audiunt<br/>Haec praedicta.</p> |
| <p>6a. Perpetrans scelera,<br/>Deposce munera<br/>Hujus, ne damneris,<br/>gens misera.</p>      | <p>6b. Ostendit ubera<br/>Pro teque verbera<br/>Huic, quem genuit<br/>puerpera.</p>                      |

Psalter. ms. S. Barbarae in Algia saec. 14/15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL. Fol. 22. add. saec. 15. A. — Grad. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisiens. 905. add. saec. 15. B. — Mel.: Laetabundus.



136. In Receptione capitis S. Barbarae.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Surge, turba, manu sona,<br>Corde gaudens ore tona,<br>Triplex sit harmonia,      | 1 b. Christum laudans in Barbara<br>Dispar sed concors cythara<br>Resultet melodia.    |
| 2 a. Haec est enim luminare<br>Late fulgens et praeclare,<br>Ortum Nicomediae,         | 2 b. Cyclum tenens angelicum<br>Polum calcat antarticum<br>Sita polo gloriae.          |
| 3 a. Relegato gentis more<br>Expurgatur sacro rore<br>Salutis atque spei,              | 3 b. Tangit petram, cedit petra,<br>Protrahente geometra<br>Eheu fugam fidei.          |
| 4 a. In vultum sputit idolis,<br>Servos Jovis, Martis, Solis<br>Maledictos praedicat.  | 4 b. Instaurari pater binam<br>Lucem jubet, illa trinam<br>Trinitati dedicat.          |
| 5 a. Vidit pater et intendit,<br>Trinitatem comprehendit,<br>Quam virgo significat;    | 5 b. Furit intus, extra fremit<br>Nec furorem intra premit,<br>Sed interim explicat.   |
| 6 a. Piae proli nequam parens<br>Poenam parat irae parens<br>Et se probat impium;      | 6 b. Orat virgo, cedit murus,<br>Dum in eam pater durus<br>Evaginat gladium.           |
| 7 a. Virgo fugit, pastor caecus<br>Patri monstrat, unde pecus<br>In locustam vertitur. | 7 b. Deprehensa, coartata<br>Martiano praesentatur,<br>Flagellis atteritur.            |
| 8 a. Tunc punitur latus flamma,<br>Fuste caput, ferro mamma,<br>Nudatur in publico.    | 8 b. Dum incedit inconfusa,<br>Cunctos latet circumfusa<br>Vestitu deifico.            |
| 9 a. Videns iudex mente cadit<br>Atque victus patri tradit<br>Natam ad exitium;        | 9 b. Furens pater fracto jure<br>Legis simul et naturae<br>Germen necat proprium.      |
| 10 a. Caesa caput fusa prece<br>Ense patris sprete nece<br>Virgo vitae nascitur,       | 10 b. Paricida discedente<br>Et ad vallem revertente<br>Ira Dei panditur.              |
| 11 a. Coelum tonat, fulgur micat,<br>Saevit aër et dimicat<br>In actorem sceleris;     | 11 b. Ferit, findit, urit, terit,<br>Ictus cadit, ustus perit,<br>Sepultus in inferis. |
| 12 a. At matyri dextra Dei<br>Diadema speciei<br>Dat et regni gloriam;                 | 12 b. Ibi amans, quod amavit,<br>Atque tenens, quod speravit,<br>Nobis oret veniam.    |

Miss. ms. S. Barbarae in Algia saec. 12 Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. fol. 7. add. saec. 14. „In receptione capitis S. Barbarae sequentia facta a Rogerio priore S. Barbarae.“ — Rogerius, der siebente Prior von Sainte Barbe - en - Auge (Calvadoz) † den 19. Februar (annus nescitur), legte das Priorat nieder 1247. Gallia Christiana XI (ed. 1759) p. 859. — 3 b, 3 Eleu. — 10 b, 2 discedente.

137. De sancto Bartholomaeo.

1. Alle cantabile  
sonet chorus cantorum  
et subjungat dulcibile  
luja,

- |   |  |
|---|--|
| 2a. Nunc recivica tinnula<br>voce melodiamata   | 2b. Dans aurea pro infula<br>Bartholomaei splendida.   |
| 3a. Lux, doctor Indorum,<br>praelectus apostolus,<br>mundum spermate ornans,  | 3b. Senator, qui pollet<br>generosa sub laurea<br>angelicâ curiâ.  |
| 4a. Nam Indiam hic<br>ingressus mox daemonium<br>Astaroth ligaverat.  | 4b. Ordine posthinc<br>et pulchro regis filiam<br>sanavit lunaticam.   |
| 5a. Hoc accensus stupore<br>Rex Polymius lavacra  | 5b. Petit alma baptismi,<br>gens sua tota et ampla.  |
| 6a. Hujus vultus insignia<br>virtutum magnalia<br>nigrifer enarrat Berith<br>timens Christi militem,<br>quo jubente horridus<br>sua fregit Astaroth<br>abscindenda idola. | 6b. Hunc tanta patrantem bona<br>apostolum Domini<br>Astrages mandat impius,<br>rex frater Polymii,<br>caesum diu fustibus<br>sanctum caput sub ense<br>tendere ad jugula. |
| 7a. Tali morte glorifica  | 7b. Coelos qui celsus petiit,  |
8. Prece mundet  
nos a crimine  
et ad superna  
perducat regna.

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 2a, 2 voce dans melodiamata.

138. De sancto Bartholomaeo.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Jubilemus, fratres mei,<br>Votiva laetitia  | 1b. Beati Bartholomaei<br>Colentes solemnna.  |
| 2a. Quem doctorem dum sortitur<br>Tenebrarum patria,  | 2b. Verae lucis insignitur<br>Sacramentis India.  |
| 3a. Ibi verbis et exemplis<br>Multa plebis milia  | 3b. Lucrifecit fuis templis<br>Et eorum gloria.   |
| 4a. O praedicanda,<br>Quae divina gessit manus<br>Per eum, miracula.  | 4b. Silent infanda,<br>Quae solebat dare vanus<br>Astaroth, oracula.                                    |
| 5a. Incendi se daemonium<br>Clamat per pseustitium,<br>Tace, pestis,<br>Dei testis<br>Inquit, damnatissima. | 5b. Aeger ad haec convaluit,<br>Grates, quantas valuit,<br>Agens Deo<br>Et cum eo<br>Turba devotissima. |

- |   |  |
|---|--|
| 6a. Deprecatur Rex pro nata<br>Morbo Polymius<br>Lunatico vexata<br>Moxque laetatur sanata. | 6b. Hoc affinis et remota<br>Cum rege pariter<br>Provincia permota<br>Baptizatur paene tota. |
| 7a. Rex Astrages de germani<br>Fide dolens et immani<br>Succensus insania                   | 7b. Sanctum sibi praesentari<br>Jubet atque fustigari<br>Securum ad omnia.                   |
| 8a. Hinc ad ictus et ad poenas<br>Cumulando dat habenas<br>Tyranni nequitia,                | 8b. Sed ad poenas et ad ictus<br>Christi miles stat invictus<br>Adjutrice gratia.            |
| 9a. Post vivus decoratur<br>Ad summa ludibria,  | 9b. Ad extremum decollatur<br>Complendo martyria.  |
| 10a. Ergo coram assistentes<br>Et trophaei recensentes<br>Hujus natalitia,                  | 10b. Praesens ipse visitare,<br>Serve Dei, nos dignare<br>Paterna clementia.                 |
| 11a. Eme nobis apud Deum,<br>Beate apostole,<br>Prece pia,                                  | 11b. Ut cantemus ante eum<br>Perennes coelicolae<br>Alleluja.                                |

Prosarium Bellovacense saec. 15. Cod. Parisiens. 1140.

### 139. De sancto Basilio.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Felix mater, militans<br>ecclesia, contentu jocundare                  | 1b. Praesuli, quem triumphans<br>vexit ad arcem coelico jubare.         |
| 2a. Alnum nunc Basilium,<br>qui claruit velut columna<br>candens,          | 2b. Pneunatis ceu lilium<br>Effrem justo, sursum ab imis<br>scandens.   |
| 3a. Arianorum ecclesiam<br>injuste captam reddi Christi-<br>anis,          | 3b. Contactu baculi palam<br>imperavit resolutis januis.                |
| 4a. Diaboli mancipium<br>abjurans ultro fidem ortho-<br>doxam              | 4b. Ob carnis exitium<br>lucratus ad vitam non ad<br>noxam.             |
| 5a. Abhorrendum facinus,<br>quod hoc designabat con-<br>fiteri,            | 5b. Scriptum clemens Basilius<br>defunctus jam efficit aboleri.         |
| 6a. Decumbens ad interitum<br>demum naturae Joseph con-<br>tra jura        | 6b. Judaeum, arte medicum,<br>lucrifecit en Deo mente pura.             |
| 7a. Per sacri fontis lavacrum,<br>quo praesul benedictus hunc<br>intinxit, | 7b. Mox mundi linquens barathrum<br>aulam coelestem floride<br>depinxit |
| 8a. Vocis, cordis neumate,<br>eja te, pater sacer, o Basili,               | 8b. Patri, nato cum neumate<br>nos socia, precamur Evae filii.          |

Miss. Misnense imp. s. l. a. — Die Silben namentlich in der ersten Zeile sind nicht immer sorgfältig gezählt; der Reim bestimmt das Versende. 5 a, 2 hos designabant.

140. De sancto Blasio.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Laetetur ecclesia<br>fidelium,   | 1 b. Exsultet pro gloria<br>plebs martyrurum.  |
| 2 a. Quam adeptus inclitus<br>est hodie Blasius,  | 2 b. Non deceptus coelitus<br>in promissionibus.   |
| 3 a. Deum timuit credens<br>illi sedulus, ob hoc<br>ipsius non est<br>merces evacuata.  | 3 b. A Deo non recedens<br>spe, misericordia<br>divina mente<br>solatur oblectata.   |
| 4 a. Caritate Dei succensus<br>corde mundo coelitus<br>est illuminatus.   | 4 b. Armatura tali defensus<br>demonstratur animo<br>nunquam conturbatus.  |
| 5 a. Ob ejus merita<br>virtutum praecellencia<br>extollat plebs pia<br>imbutum hunc prudentia,<br>spernit gloriam,<br>fugit plebem noxiam,<br>petit eremum, | 5 b. Ut tempus redimat<br>diebus malis, faciat<br>virtutes mirandas<br>in rebus claris effandas,<br>mansueti fere<br>cernuntur mansuescere<br>ad imperium. |
| 6 a. Obsequii feris<br>pro solatio<br>redditur<br>cum medela<br>pia benedictio,<br>redeunt<br>sic alacres ad arva.  | 6 b. Deprehensus tali<br>ex miraculo<br>trahitur<br>ad praesidem,<br>laetus ex oraculo<br>mystico<br>offerendus hostia.                                    |
| 7 a. Incredulos convertit<br>docendo,<br>debiles reficiens<br>curando.  | 7 b. Redarguit praesidem<br>dementem,<br>sustinet fustibus se<br>caedentem.  |
| 8 a. Ter in carcerem truditur.<br>diris unguis<br>suspensus equuleo<br>vexatus.   | 8 b. In lacum aquae mittitur<br>mirisque modis<br>sub ipsius corpore<br>densatur.  |
| 9 a. Tandem capite<br>truncatur, cohortem<br>secum plurimam consortem   | 9 b. Fecit meriti<br>et mercedis boni,<br>summi ac perennis doni.  |
| 10 a. Laetatur nunc in Domino,<br>contemplatur praemia<br>justorum,<br>majestatem Dei.  | 10 b. Nobis precum suffragio<br>deposcat eximium<br>solamen<br>vultus nostrae spei.  |

Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 14. A. — Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Lubicense s. sign. saec. 14. C. — Miss. Lubicense imp. s. l. et a. D. — 4b, 2 monstratur AC. — 5a, 1 Ab ejus D. — 5b, 1 Et tempus D. — 6b, 1 Reprehensus D. — 7b, 2 fehlt D. — 8b, 3 superius corpore D.

#### 141. De sancto Cerauno.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Coeli coetus civium,<br>Gaude, plebs fidelium<br>Cerauni praeconium | 1 b. Pangit, pontificium<br>Consecutus ovium<br>Corda fovit omnium.         |
| 2 a. Felix tu, Parisius,<br>Ceteris jucundus<br>Festiva solemnna,        | 2 b. Pastor hic egregius<br>Fuit et propitius<br>Tibi missus gratia.        |
| 3 a. Vita fulgens inclita,<br>Gratia paraclita<br>Pontifex eligitur,     | 3 b. Fides, fama, merita<br>Testantur, quod merita<br>Dignitas conceditur.  |
| 4 a. Aegris fert remedium<br>Moestisque solatium<br>Divina clementia;    | 4 b. Ingens malum dentium<br>Torquens ora gentium<br>Pacificat gratia.      |
| 5 a. O pater piissime,<br>Pastor clementissime,<br>Pelle nostra noxia;   | 5 b. Precamur, dulcissime,<br>Sis consolator animae<br>Coeli ferens gaudia. |

Miss. ms. Sangenovefanum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL. Fol. 1. add. saec. 15. — Mel. wohl: Veni sancte Spiritus.

#### 142. De sancto Claudio.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Confessoris incliti,<br>Fideles, concinnite<br>Claudii solemnna.                            |   |
| 2 a. Lux illuxit gratior,<br>Orbi celebratior<br>Canora symphonia.                             | 2 b. Cujus rubens oritur<br>Fulgor, hostis scinditur<br>Ardor aegris, Sirius.                         |
| 3 a. Neque coelum lumine<br>Laevo tristat, limine<br>Panso nitet lucifer.                      | 3 b. Cedunt ignes fulminis,<br>Praesagi cum praesulis<br>Jam natale rutilat.                          |
| 4 a. O nomen beatius,<br>Astris luculentius,<br>Fama pollens strenua,<br>Vota sonant annua;    | 4 b. Priscis vigenis saeculis,<br>Reverendum populis,<br>Pubis morbis effera<br>Plausu fremit libera. |
| 5 a. Haec sunt laudi tuae, Claudii,<br>Pergunt claudii, vetant claudii<br>Preces clara lumina. | 5 b. Sed inanes lugent manes,<br>Post immanes cursus manes<br>Supervectus sidera.                     |
| 6 a. O professor sacrae legis,<br>Dum incultos saltus legis,<br>Repubescit senium.             | 6 b. Ut sol terris incaluit,<br>Rorem ridens ver impluit,<br>Prata fundunt lilia.                     |

- |   |  |
|---|--|
| <p>7a. Apes insidunt floribus,<br/>Aether mugit clangoribus,<br/>Hoc silvae frondent foedere,<br/>Hocstrepit campus murmure</p> <p>8a O catervae spes vivida,<br/>Arma viperae lurida<br/>Insonti manu contere,<br/>Amnes sulcet Stygios.</p> | <p>7b. Sic infectum eluitur<br/>Scelus, flammis exurit<br/>Spiritus sancti concio,<br/>Auctore recto conscio.</p> <p>8b. Ut infracti revirescant<br/>Servi, flores nec arescant<br/>Saeviente solstitio<br/>Messis per Eliseas</p> <p>9. Resoluto spiritu<br/>Gloriemur exitu.</p> |
|---|--|

Cod. Parisiense. 915. saec. 15. A. — Miss. ms. Parisiense anni 1481. Cod. Parisiens. 17315. B. — 3a, 2 lumine A. — 4a, 2 Astus A. — 4b, 1 ingens AB. — 4b, 3 Pubes B. — 5a, 1 Hoc sunt A. — 8b, 4 Messy A; messi B; per Eliseos AB; da auch 2a, 3 und 3a, 3 mit ihren entsprechenden Gegenzeilen nicht reimen, wird die Korrektur im Texte wohl nicht zu beanstanden sein.

#### 143. De sancto Claudio.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Ad coeleste gaudium<br/>Curiae sanctorum<br/>Clangat cor quaerentium<br/>Deumque deorum<br/>Christum, regem omnium.</p> <p>2a. Laudetur in Claudio<br/>Bonitas divina,<br/>Fiatque religio<br/>Tota coelestina<br/>In tali tripudio.</p> <p>3a. Hanc rege naviculam,<br/>Bone naucleari,<br/>Viduam pauperulam<br/>Salva in hoc mari,<br/>Lecythum, farinulam.</p> <p>4a. O Claudii, qui corpore<br/>Hoc in orbe reservatus<br/>Praeserva nos a languore<br/>Venenosi flatus<br/>Per tua miracula.</p> | <p>1b. Plebs citharizantium,<br/>Status seniorum,<br/>In verbo virentium<br/>Coetus angelorum<br/>Laudet Dei filium.</p> <p>2b. Mentalis devotio<br/>Non fiat supina,<br/>Claudii auxilio<br/>Cedit Proserpina<br/>A sancto coenobio.</p> <p>3b. Ut Christi tuniculam<br/>More militari<br/>Inscissam tu regulam<br/>Serva modo pari,<br/>Claudii, dele maculam.</p> <p>4b. Per te mersus aequare<br/>Fuit suscitatus,<br/>Candidior ebore<br/>Artus restauratus,<br/>Christo laus per saecula.</p> |
|---|---|

Miss. ms. S. Victoris Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. 14282 A. — Miss. ms. Parisiense anni 1481 Cod. Parisiens. 17315 B. — Cod. Parisiens. 915 saec. 15. C. — 2a, 3 regio A. — 2a, 5 coeli tripudio A. — 3a, 1 figulam A. — 3a, 2 navi clauri A. — 4a, 2 sqq.: Es vi praesentatus | Tu qui omni tempore | Diceris beatus A, ersichtlich Korrektur wegen der falschen Betonung in 4a, 3.

144. De sancta Chlotilde.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Ad honorem summi regis<br>Gaudeat ecclesia   | 1b. Sancta matris et reginae<br>Recolens solemnna.  |
| 2a. Haec illustris Chilperici<br>Quondam regis filia   | 2b. Lota sacro fonte Christi<br>Lactis ab infantia.   |
| 3a. Sub profani Gondebaudi<br>Nutrita custodia,  | 3b. Carne crevit fide pollens<br>Vitae per insignia.  |
| 4a. Corpore pulchra,<br>Prudens, elegans, venusta,<br>Prae cunctis egregia:                      | 4b. Pulchrior mente,<br>Quam virtutum decoravit<br>Specialis gratia.                                      |
| 5a. Inerant ejus animo<br>Sanctitatis studia,<br>Pietatis et divini<br>Cultus exercitia.         | 5b. Larga precibus pauperum<br>Solvebat stipendia,<br>Donis ejus egenorum<br>Respirat miseria.            |
| 6a. Mox ut tantae claritatis<br>Auribus insonuit<br>Regiae majestatis<br>Fama, fit ejus dilecta. | 6b. Arrhis sponsae delegatis<br>Salve, inquit nuntius,<br>Eximiae dignitatis<br>Haeres et consors electa. |
| 7a. Quem praefecit regem Deus,<br>Te salutat Chlodovaeus<br>Mittens haec exenia.                 | 7b. Tui gaudet in amorem,<br>Te exoptat in uxorem,<br>Suscipe sponsalia.                                  |
| 8a. Illa stupet et miratur<br>Ac spe magna praestolatur<br>Dei beneficia;                        | 8b. Res est inquit peregrina,<br>Fiat voluntas divina,<br>Quae disponit omnia.                            |
| 9a. Post haec operante Deo<br>Cum thesauri copia   | 9b. Datur regi Chlodovaeo<br>Conjugalis socia.  |
| 10a. O quam felix haec regina,<br>Per quam credit gens ferina<br>Rex atque militia,              | 10b. Membra caput imitantur<br>Et cum rege baptizantur<br>Plus quam tria milia.                           |
| 11a. Sacram quibus unctionem<br>De supernis meruit<br>Prece pia,                                 | 11b. Quae Francorum legionem<br>Primitus instituit<br>In latria.  |
| 12a. Potus fontis vinum sapit<br>Ad illius commutatus<br>Suspiria,                               | 12b. Sed saporem solus capit,<br>Domus Dei qui sectatur<br>Fabrilia.                                      |
| 13a. Testis est felicitatis<br>Carnis redolentia,  | 13b. Quod jam regnet cum beatis<br>In perenni gloria.   |
| 14a. Qui devota venerantur<br>Clotildis celebria,  | 14b. Ejus ope consequantur<br>Sempiterna gaudia.  |

Cod. Parisiens. 917 saec. 15. — Mel.: Congaudentes exsultemus.

145. De ss. Cosma et Damiano.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Gaude, Cosma, cum germano<br>Fratre tuo Damiano<br>Regnans in coeli sedibus,     | 1b. Oro te corde non vano<br>Sed debito voto plano,<br>Adesto postulanti.                  |
| 2a. Gaude, Damiane, frater<br>Cosmae, cujus fuit mater<br>Timens Deum Theodora.      | 2b. Merum fundens merus crater,<br>Ne nos Satan voret ater,<br>Serves et suscipe vota.     |
| 3a. Gaude, Cosma, nam medicus<br>Fuisti scientificus<br>Sanans morbos et languores,  | 3b. Physicus et chirurgicus,<br>In omnibus veridicus,<br>Non quaerens lucrum sed<br>mores. |
| 4a. Gaude, Damiane, datum<br>A Palladia non gratum<br>Tibi fuit, sed jurata          | 4b. Te tunc fecit inclinatum,<br>Ut juratum esset ratum,<br>Quae tunc fuit Cosmae grata.   |
| 5a. Gaude, Cosma, videns Deum,<br>Nocte nam credebas reum<br>Damianum propter ova,   | 5b. Sed ne moveres in eum<br>Ob tumulum funereum<br>Tibi dantur certa nova.                |
| 6a. O vos fratres uterini,<br>Passi pro Christo benigni<br>Poenas multas per Lysiam, | 6b. Facite nos simus digni,<br>Muniri trophaeo signi<br>Crucis merendo gloriam.            |
| 7a. Tu cum germano,<br>Cosma, prece fac Damiano,                                     | 7b. Digni reddamur<br>Meritum quoque perficiamur.  |

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11 592. add. saec. 15.

146. De ss. Cyriaco, Largo

et Smaragdo.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Gloriosi Cyriaci<br>martyris  | 1b. Triumphum voce canamus<br>consona.  |
| 2a. Qui juxta Domini<br>praeceptum<br>tortores non timuit<br>corporum,                            | 2b. Dum Christum noluit<br>negare<br>coronamque fidei<br>perdere.                       |
| 3a. Sed fundatus in stabili<br>ecclesiae petra Christo,<br>non, inquit, sacrificabimus<br>idolis. | 3b. Nosmet ipsos offerimus<br>spontaneam Deo gratam<br>in odorem suavitatis<br>hostiam. |
| 4a. Et nos Largum,<br>Dei fortissimum<br>militem, paribus<br>c                                    | 4b. Et Smaragdum,<br>pari constantiae<br>fidei, martyris<br>Cyriaci comites.            |



- |  |   |
|--|---|
| <p>5a. Qui in Christo solidati<br/>ut athletae nobiles<br/>jugulum porrigunt<br/>tortoris<br/>feriendum gladio.</p>  | <p>5b. Certi sui praemii pro<br/>Christo sui sanguinis<br/>prodigi facti sunt,<br/>in coelis<br/>regnaturi perpetim.</p>  |
| <p>6a. Te ergo supplici<br/>voce precamur,<br/>pontificis summi,<br/>levita Christi,<br/>sancte Cyriace, ut<br/>nos precibus tuis<br/>semper commendes Domino.</p> | <p>6b. Vos quoque patriam<br/>nobis coelestem,<br/>Smaragde et Large,<br/>post hujus carnis<br/>vincula impetrantes<br/>pristinam, facite<br/>interesse gaudiis</p> |

### 7. Sanctorum.

Grad. ms. Francisc. in Hüls saec. 15. Cod. Nussiensis s. sign. A. —  
Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae 1540 B. — 2b, 3 coronam fidei A. —  
4a, 4 collaudamus A. — 5b, 3 facti sunt prodigi B.

### 147. De sancto Dalmatio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Postquam vergit nox obscura<br/>Dieique patent jura<br/>Sordis pulsa rabie,</p>           | <p>1b. Arma lucis assumamus,<br/>Ut obstare valeamus<br/>Fautori superbiae.</p>            |
| <p>2a. Caritate radicati,<br/>Radicati vel fundati,<br/>Quae bimembris dicitur,</p>              | <p>2b. In praedicta sic probati,<br/>Quod eidem simus grati,<br/>Cujus festum colitur.</p> |
| <p>3a. Dignas laudes exsolvendo,<br/>Dulce melos depromendo<br/>Summa cum laetitia,</p>          | <p>3b. Nam fidelis indagator<br/>Christi crucis atque lator<br/>Fuit ab infantia.</p>      |
| <p>4a. Documentis claruit,<br/>Sanctitate polluit<br/>Beatus Dalmatius,</p>                      | <p>4b. Disponente flamine<br/>Praesulis regimine<br/>Fungitur lucidius.</p>                |
| <p>5a. Rutenensi civitate<br/>Verbum Dei plebi datae<br/>Praedicans sumopere,</p>                | <p>5b. Praeceptorem exsequendo,<br/>Quae docebat faciendo<br/>Summi Dei munere.</p>        |
| <p>6a. O quam felix, quam excellens,<br/>Tampraeclarus, tampraecellens<br/>Fuit in ecclesia,</p> | <p>6b. Qui gerebat postestatem<br/>Conferendi sanitatem<br/>Fugandi daemonia.</p>          |
| <p>7a. Dum pro fide vigilaret<br/>Et rebelles expugnaret,<br/>Plectus a gentilibus,</p>          | <p>7b. Coelum scandit laureatus,<br/>Agni stolis adornatus<br/>Una cum martyribus.</p>     |
| <p>8a. Alme martyr strenue,<br/>Pro nobis assidue<br/>Posce regem gratiae,</p>                   | <p>8b. Ut hanc post miseriam<br/>Consequamur gratiam<br/>Sempiternae gloriae.</p>          |

Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309. — 2b, 3 colimus.

148. De sancto Demetrio.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Gaude, turba coelestium,<br>Plaude, turba terrestrium,<br>Et totalis vis cordium<br>Flammescat uberius,      | 1 b. In hac valle miseriae<br>Et in terris Pannoniae<br>Ex alta stirpe Graeciae<br>Nascitur Demetrius. |
| 2 a. Qui semen Christi doctrinae<br>Et formam legis divinae,<br>Cautelam tristis ruinae,<br>Sparsit Thessaloniae; | 2 b. Cujus precum praesidio,<br>Nestor fultus in stadio<br>Liaeum ense obvio<br>Prostravit egregie.    |
| 3 a. Insignitus imperio<br>Maximianus proprio<br>Nestorem jubet gladio<br>Ferire inaniter;                        | 3 b. Demetrius in carcere<br>Vulneratus in latere<br>Pro Dei patris munere<br>Transit laudabiliter.    |
| 4 a. Supra tumbam dum prostratur<br>Leontius, visitatur<br>Et a morte liberatur<br>Athletae praesentia;           | 4 b. Reliquias deferentes<br>Danubii saevientes<br>Undas scindunt spe gaudentes<br>Ejusdem clementia.  |
| 5 a. Cujus tumba madidatur<br>Oleo, quo solidatur<br>Languens, si quis anxietur<br>Doloris incendio.              | 5 b. Demetrius adoptatus<br>Et in coelis coronatus<br>Noster nunc sit advocatus<br>Coram Dei filio.    |

Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511.

149. De sancto Dionysio.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Alludat vox ecclesiae<br>Voci coelestis curiae<br>Hujus diei gratia,                                     | 1 b. Lux ista lux est gratiae,<br>Qua primum lumen Graeciae<br>Refulsit in ecclesia.                        |
| 2 a. Gratum lumen, lux ignita,<br>Qua resplendent infinita<br>Coelo luminaria,                                | 2 b. Hic est Areopagita,<br>Cui pro pago urbs est sita<br>In coelesti patria.                               |
| 3 a. Ad hanc urbem sic devenit,<br>Nam de pago Romam venit,<br>Pervenit Lutetiam,                             | 3 b. Huc directus hic advenit,<br>Hic destruxit, quam invenit,<br>Idolorum copiam.                          |
| 4 a. Hic fundata domo Dei<br>Deum colit, offert ei<br>Idolorum spolia;  | 4 b. Credunt gentes et in rei<br>Novitate fervent rei,<br>Cadit idolatria.                                  |
| 5 a. Sed non latet civitas<br>Supra montem posita   | 5 b. Nec lucernae claritas,<br>Cum non sit abscondita.  |
| 6 a. Furit ergo vir profanus,<br>Quem misit Domitianus,<br>Ut sanctorum cesset manus,<br>Cessent et prodigia. | 6 b. Prodit miles veteranus<br>Et cum eo sacra manus,<br>Vincta pedes, juncta manus,<br>Omnes ad supplicia. |

- |   |   |
|---|---|
| <p>7a. Nihil obsunt seni poenae,<br/>Nil catasta, nil catenae,<br/>Nihil crates ferrea;</p> <p>8a. Missa Christi celebratur<br/>Et a sene dum cantatur,<br/>Angelorum plebs laetatur<br/>Et Christi praesentia.</p> <p>9a. Pane vitae vegetatur<br/>Et lictori praesentatur<br/>Gladioque consummatur<br/>Laetus de victoria.</p> | <p>7b. Mitigantur truces ferae<br/>Et, dum cogitur ardere,<br/>Friget virtus ignea.</p> <p>8b. Carcere debilitatur,<br/>Sed a Christo confortatur,<br/>Dum ab eo sibi datur<br/>Salutaris hostia.</p> <p>9b. Martyr caput amputatum<br/>Manu portat, ne truncatum<br/>Sit a trunco separatum<br/>Sed sint plena gaudia.</p> |
|---|---|

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel.

### 150. De sancto Dionysio.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Vas electum Graeciam<br/>Paulus ac Boëtiam<br/>Et Athenis etiam<br/>Docens peritit.</p> <p>2a. Credit Dionysius,<br/>Ductor fit Elisius,<br/>Venit hinc Parisius<br/>Fidem ferens.</p> <p>3a. Victus hostis ejulat,<br/>Lictor sanctum jugulat,<br/>Ille caput bajulat<br/>Jam desectum.</p> <p>4a. Hic in Gallis latuit<br/>Caesari sed patuit,<br/>Quem transferre statuit.<br/>Pia fraude.</p> <p>5a. Et nos per macarium<br/>Domini sacrarium<br/>Ad coeli cellarium<br/>Inducamur.</p> | <p>1b. Quem dum nil effeminat,<br/>Sed cursum ingeminat,<br/>Fidei, quem seminat,<br/>Fructum metit.</p> <p>2b. Propter hoc decernitur<br/>Sua mors, sed spernitur<br/>Martyr morte sternitur<br/>Vitam quaerens.</p> <p>3b. Corpus Christi pugilis<br/>Feminae pervigilis<br/>Cura est et humilis<br/>Tumba tectum.</p> <p>4b. Res succedit prospere,<br/>Huc defertur propere,<br/>Urbs ergo summopere<br/>Nostra gaude.</p> <p>5b. Et Christi convivio<br/>Spreto mundi devio<br/>Tanto duce praevio<br/>Perfruamur.</p> |
|--|---|

Miss. ms. S. Emmerami anni 1406. Clm. Monacens. 14045 A. — Miss. ms. S. Emmerami anni 1493 Clm. Monacens. 14297 B. — Miss. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14623 C. — Grad. ms. Mellicense 1056 saec. 14 in. D. — Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacens. 2873 E. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgens. saec. 16. post Miss. Roman. imp. Venetiis 1213 F. — Mel. = Benedicti merita D. — 1b, 1 efficit E. — 2b, 2 mors fehlt F. — 4a, 1 Sic in B; Galliis F. — 4b, 4 gaude fehlt F. — 5a, 1 macharium von μαχαρίος.

### 151. De sancto Dunstano.

#### 1. Hodierna

- |   |  |
|---|--|
| <p>2a. Resonent gaudia<br/>virtutum praeclara</p> | <p>2b. Sphaera beato<br/>Dunstano collata.</p> |
|---|--|

- |   |  |
|---|--|
| <p>3a. A matris utero<br/>deitatis<br/>praeventus gratia</p> <p>4a. Salvatoris monita<br/>audiens salubria<br/>ejus ad vestigia<br/>cum beata<br/>sedebat Maria.</p> <p>5a. Sacerdotis<br/>honore praeditus<br/>angelicam</p> <p>6a. Lumen exstinctum<br/>non natus reparat,</p> <p>7a. Hic templi suprema</p> <p>8a. Et angelico ducatu<br/>clausam intrat ecclesiam,<br/>apostolica<br/>fultus praesentia<br/>suscepit arma<br/>futuri praesaga,<br/>tergentem machinam<br/>prece levat sola.</p> <p>9a. Voce diva<br/>agnovit tempora. * * * * *</p> <p style="padding-left: 40px;">* * * * * * * * *</p> <p style="padding-left: 40px;">* * * * * * * * *</p> <p>Supernos psallentes * * * * *</p> <p>spiritus et vota</p> <p>10a. Dunstane, vivens in saecula,<br/>pro servis exora,</p> | <p>3b. Extra mundum, extra<br/>mundi mentem<br/>transivit omnia.</p> <p>4b. Unde ardentissimo<br/>flagrans desiderio<br/>patriam continua<br/>suspirabat<br/>amoris lacrima.</p> <p>5b. Egit vitam<br/>signis a puero<br/>conservatam.</p> <p>6b. Virga daemonum<br/>effugat catervas.</p> <p>7b. Transcendit opera</p> <p>8b. Hostis invidos conatus<br/>verbere dato vacuat,<br/>cithara non arte<br/>percussa consonam<br/>reddit symphoniam<br/>in viri gloriam,<br/>novi regis prima,<br/>illius extrema.</p> <p>9b. Factori psallentes<br/>audivit talia:<br/>Kyrie eleison,<br/>Christe eleison.<br/>Numquid sua<br/>jam miscet cantica.</p> <p>10b. Qui te collaudantes devota<br/>persolvunt jubila</p> |
|---|--|

11. Ac pro universa  
per orbem diffusa  
Christi ecclesia.

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel. — 4b, 5 amore. — 8b, 1 Hostis et invidos. — 9a, 3 sq. Die \* \* bezeichnen an dieser Stelle keine Lücke im Text, sondern nur das Fehlen eines Parallelgledes zu dem 9b eingeschalteten Kyrie eleison.

152. De sancto Ebrulpho.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Laetabundus<br/>Ebrulpho decantet chorus<br/>Alleluja,</p> <p>2a. Angelus apparuit<br/>Matri et exposuit<br/>Pariturae</p> | <p>1b. Opem cujus<br/>deposcat hac die sacram<br/>Voce pia.</p> <p>2b. Pueri originem<br/>Et gerendae ordinem<br/>Vitae purae.</p> |
|---|--|

- |   |   |
|---|---|
| <p>3a. Hic ex Francis genitus<br/>Belvaci est editus<br/>Ortu clarus;</p> <p>4a. Fredegundis monitis<br/>Propriisque meritis<br/>Abbas factus,</p> <p>5a. Per hunc beneficia<br/>Plurimis eximia<br/>Dantur Dei gratia<br/>Operante.</p> <p>6a. Exutus pallio<br/>Carnis convivio<br/>Laeto pascitur<br/>in patria;</p> | <p>3b. Annis puerilibus<br/>Sacris fulsit moribus<br/>Christo carus.</p> <p>4b. Carnem suam domuit,<br/>Jugiter exercuit<br/>Pios actus.</p> <p>5b. Caecis lumen redditur,<br/>Claudus recte graditur,<br/>Daemon hoc ejicitur<br/>Exorante.</p> <p>6b. Ipsius precibus<br/>Nos suis civibus<br/>Jungat rex Christus<br/>in gloria.</p> |
|---|---|

Prosarium Bellovacense saec. 15. Cod. Parisiens. 1140.

### 153. De sancto Eligio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Eligentis et electi<br/>Nomen habens formam recti<br/>Tenuit Eligius;</p> <p>2a. Opus cudens hic fabrilis<br/>Contemplatus est subtile<br/>Summi fabri studium,</p> <p>3a. Regi formans vas ex auro<br/>Certum sumpsit ex thesauro<br/>Et pondus et pretium,</p> <p>4a. Sanctitate vir insignis,<br/>Dum virtutum claret signis,<br/>Pontifex eligitur;</p> <p>5a. Sed se fabrum et pastorem<br/>Per doctrinam et amorem<br/>Exhibet fidelium,</p> <p>6a. Pater nulli peregrinus,<br/>Peregrinis tuis sinus<br/>Aperi clementiae,</p> | <p>1b. Prior Deus hunc elegit<br/>Et electus se collegit<br/>In Deum ardentius.</p> <p>2b. Deum videns in factura<br/>Rerum legit in figura<br/>Figuli vestigium.</p> <p>3b. Auri pondus duplicatur,<br/>In hoc [vase] rex miratur<br/>Pondus et ingenium.</p> <p>4b. Temporalis faber regis,<br/>Ab aeterno rege gregis<br/>Pastor instituitur.</p> <p>5b. Verbo faber, pastor vita,<br/>Via currens expedita<br/>Consummavit stadium.</p> <p>6b. Qui non negas opem brutis,<br/>Auge nobis spem salutis,<br/>Medicinam veniae.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 12. — 3b, 2 fehlt ein Wort von zwei Silben.

### 154. De sancta Elisabeth.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Dies sancta coruscavit,<br/>Quam decenter illustravit<br/>Novi fulgor sideris,</p> | <p>1b. Hac in die jubilemus<br/>Et recentem honoremus<br/>Arcam sancti foederis.</p> |
|---|--|

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Nata regis Hungarorum,<br>Nupta ducis Thuringorum,<br>Ortu, dote nobilis,  | 2b. Non in fastum est erecta<br>Elisabeth sed dejecta<br>Permansit et humilis.  |
| 3a. Corde pia, verbo lenis,<br>Aegris dabat et egenis<br>Opem fuis opibus,     | 3b. Sibi parca, sibi rara,<br>Sibi tenax et avara,<br>Sed larga pauperibus.     |
| 4a. Viduata morte viri<br>Non permisit se vinciri<br>Nuptiali copula,          | 4b. Nec in carnis servitutum<br>Inquinavit juventutem<br>In secunda vincula.    |
| 5a. Nunc dotata summo duce<br>Permansura gaudet luce<br>Sponsi fruens osculis; | 5b. Hujus preces nos absolvant<br>A peccatis et evolvant<br>De mundi periculis. |

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisiens. 10487. — Die Prosa steht hier in 2. Vesperis. Das Brevier verwertet aber auch andere bekannte Sequenzen als verbeta oder prosellae.

### 155. De sancta Elisabeth.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Plebs devota jucundetur,<br>Elisabeth declaretur<br>Laudibus memoria,     | 1b. Quae amore flagrans Dei<br>Exhibebat soli ei<br>Laudes et praeconia.            |
| 2a. Omnī hora hunc honorans<br>Sprevit mundum ac implorans<br>Ejus beneficia, | 2b. Dum vir solvit jura legis,<br>Fit haec sponsa summi regis<br>Ejus plena gratia. |
| 3a. In re mundi novercatur,<br>Paupertate gratulatur,<br>Vanitatis nescia;    | 3b. Stupet mundus et miratur,<br>Dum leprosis famulatur<br>Quondam regis filia.     |
| 4a. Deo servit nisu toto,<br>Castitatem firmat voto<br>Et fit viris invia;    | 4b. Corpus ejus dum humatur,<br>Crescit fructus, nam rigatur<br>Deitatis pluvia.    |
| 5a. Elisabeth, lapsae genti<br>Sublevamen deposcenti<br>Desuper irradiat;     | 5b. Fac vincamus hostem, mundum,<br>Ne demergat in profundum<br>Nos peccati noxia.  |

Miss. ms. Hospitalense saec. 14. Cod. S. Pauli ad Laventum Hospitalens. memb. 49. A. — Cationale ms. Vissegradense V Cc 7 saec. 15. B. — Miss. Dominorum Ultramontanorum imp. Veronae 1480. C. — 1b, 2 soli Deo C. — Str. 2a fehlt B. — 3a, 1 In res B. — 3b, 3 Regis quondam C. — 4a, 3 viri nescia C. — 4b, 2 Surgit vicus (l.: ficus), dum rigatur C. — 5b, 2 nos profundum A. — 5b, 3 Peccatorum noxia A; Nos tempestas valida C. — Mel. = Hodiernae lux diei B.

### 156. De sancta Enimia.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Nube carnis interrupta<br>Proles regis incorrupta<br>Laudetur Enimia, | 1b. Nox et dies celebretur,<br>Mens informis reformetur<br>Ex ejus memoria. |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| <p>2a. Propter Christi paupertates<br/>Fugit reges et primates<br/>Habitum sub pauperi,</p> <p>3a. Ei pater sponsum quaerit,<br/>Sed puellam lepra ferit<br/>Divino iudicio;</p> <p>4a. Ubi re non in figura,<br/>Sed ab hostibus secura<br/>Convivat ecclesia.</p> <p>5a. Vallis quondam sterilis<br/>Vim persentit virginis,<br/>Facta modo fertilis;</p> <p>6a. Reddit Murcae filium,<br/>Spei suae gaudium,<br/>Destinatum tumulis;</p> <p>7a. Nunc evasit vere mortem<br/>Et secundam tenet sortem<br/>Summis data sedibus,</p> <p>8a. Post hunc currit ipso duce,<br/>Cernens ipsum plena luce<br/>Revelata facie;</p> <p>9a. Et magna suspiria<br/>Magna sedant praemia<br/>Et depellunt taedium;</p> <p>10a. Habes nunc denarium,<br/>Virgo, trahe filium<br/>Ad aeternam patriam;</p> | <p>2b. Fugit nostra Sunanitis<br/>Adoniam virgo mitis<br/>Regis juncta lateri.</p> <p>3b. Quae libenter stat ad poenam,<br/>Ut exspectans agni coenam,<br/>Laeta de convivio.</p> <p>4b. Demum angeli sermone<br/>In hac lota regione<br/>Sana fit Enimia.</p> <p>5b. Sola nam praesentia<br/>Morbos et daemonia<br/>Fugit virgo nobilis.</p> <p>6b. Quidquid haec Enimia<br/>Fecit, sunt prodigia<br/>Satis digna titulis.</p> <p>7b. Castitatis compta velo<br/>Sequitur agnum in caelo<br/>Virgo cum virginibus.</p> <p>8b. Ibi civibus fortuna<br/>Deus est perpes et una<br/>Et aeternum hodie.</p> <p>9b. Brevis luctus abiit,<br/>Jugis risus subiit<br/>Atque tenet bravium.</p> <p>10b. Habes datum optimum,<br/>Fac, ut nostrum ultimum<br/>Jubilet victoriam.</p> |
|--|--|

Cod. Parisiens. 913 saec. 14. Mit Mel.

### 157. De sancto Emmerico.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Laetabundus et canorus<br/>Regi regum noster chorus<br/>Agat hoc solemnum,</p> <p>2a. Laus jucunda, laus decora,<br/>Cum mens munda replet ora,<br/>Redundat et actio</p> <p>3a. Confessorem sic miremur,<br/>Ut in eo veneremur<br/>Auctorem magnalium,</p> <p>4a. Heinricus stirpe regia<br/>Sanctitateque praevia<br/>Clarus fuit et inclitus,</p> | <p>1b. Et festivet confessoris<br/>Intus voto, voce foris<br/>Diem natalitium.</p> <p>2b. Sed in triplo modulata<br/>Festo digna, Deo grata<br/>Nostra fiet cautio.</p> <p>3b. Huic potestas tribuatur,<br/>A quo totum gratis datur<br/>Illi ministerium,</p> <p>4b. Sed illustrat natalia<br/>Praestantiore gloria<br/>Praelara Christi servitus.</p> |
|--|---|

- |   |  |
|---|--|
| 5a. Vanis prorsus abdicatis<br>Laboribus sanctitatis<br>Totum se supposit,                                | 5b. Calcat culmen potestatis<br>Et cum visco voluptatis<br>Opum spinas respuit.                                      |
| 6a. Ex nocturnis factis claret,<br>Quod nec navis diem daret<br>Nec marceret otio,                        | 6b. Ardor sanctus nocte crescit,<br>Vero sole nox clarescit,<br>Resonat psallentio.                                  |
| 7a. Hoc in aetate parvula<br>Dat signorum initium,<br>Quod Dei servis oscula<br>Vertit in vaticinium.     | 7b. Nam cuique tot oscula<br>Patre notante tribuit,<br>Quot annorum curricula<br>Carnis fluxum continuit.            |
| 8a. Sed soli septenarium<br>Osculorum dinumerat,  | 8b. Quem digno privilegio<br>Virginitatis fecerat.   |
| 9a. Orans secum dum tractaret,<br>Quo se Deo commendaret,<br>Quod quaerit alloquio,                       | 9b. Locus totus corruscatur<br>Et coelesti reseratur<br>Totius obsequio:   |
| 10a. Castitas, inquit, praeclara<br>Coelo digna, mihi cara,<br>Castitatem offeras,                        | 10b. Hunc coelestis puritatis<br>Sanctus hortus voluptatis<br>Mihi florem proferas.                                  |
| 11a. Haec sanctorum angelorum<br>Habet contubernium,<br>Flos decoris et odoris<br>Habens privilegium.     | 11b. Sed post mortem sanctum<br>suum<br>Christus magis mirificat,<br>Cui mirandorum actuum<br>Potentiam multiplicat. |
| 12a. Henricus in victoria<br>Vere mortem absorbit,<br>Cui signorum frequentia<br>Adaunit mors nec minuit. | 12b. In uno simul homine<br>Quator signa perpetrat,<br>Solvi reum a crimine<br>Precibus suis impetrat.               |
| 13a. Mortis delet scripturam<br>Atque loricam diripit,<br>Ferream ligaturam<br>Frangens captivum eripit.  | 13b. A culpis atque poenis<br>Conradus liberatur,<br>Lorica cum catenis<br>Et charta dissipatur.                     |
| 14a. Henrice, supplicantibus<br>Adesto suffragator<br>Et peccatorum nexibus<br>Obstrictis liberator.      | 14b. In hac valle miseriae<br>Nos respice gementes,<br>Tuae consortes gloriae<br>Nos effice gaudentes.               |

Miss. ms. Musaei Hungarici 215. saec. 14. A. — Miss. ms. Musaei Hungarici 218. saec. 15. B. — 4a, 1 Emmericus B.

### 158. De sancto Erasmo.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Laudes Christo solvat laetas<br>Omnis sexus, omnis aetas,<br>Laus sit oris hostia, | 1b. Cum Erasmus, pater bonus,<br>Pius pauperum patronus<br>Transit ad coelestia. |
|--|--|



- |  |  |
|--|--|
| 2a. Hinc praesul Antiochenus,<br>Gratia divina plenus,<br>Pietatis speculum,       | 2b. Pastor gregis Christi fidus,<br>Doctor legis, velut sidus<br>Illustravit saeculum. |
| 3a. Prudens, castus et pudicus,<br>Dei servus et amicus,<br>Gratus erat moribus;   | 3b. In desertum turbas fugit,<br>Ibi mel de petra sugit<br>Caput ornans floribus.      |
| 4a. Inter coeli volat aves<br>Cantus modulans suaves<br>Spiritus dulcedine,        | 4b. Inter liliās seu rosas<br>Paradisi sponsas flores<br>Florens solitudine.           |
| 5a. Corvo pascitur Elias,<br>Sanctus puer Jeremias<br>Ad docendum mittitur,        | 5b. Sic pascitur et vocatur<br>Praeco regis, ut loquatur<br>Verbum, quod committitur.  |
| 6a. Evocatus vir apparet,<br>Forti pugna miles claret,<br>Signis et virtutibus;    | 6b. Torquet Diocletianus,<br>Succedit Maximianus<br>Saevis cruciatibus.                |
| 7a. Quorum rabies cassatur,<br>Dum nec sentit nec mutatur<br>Bis ereptus vinculis; | 7b. Multi credunt, baptizantur,<br>Multi passi coronantur<br>Visis tot miraculis.      |
| 8a. Tandem coelo est vocatus<br>Gloriose coronatus,<br>Gaudens reddit spiritum;    | 8b. Unde supplices precamur,<br>Ut salvari mereamur<br>Per Erasmi meritum.             |

Miss. ms. Cremifanense 339 saec. 15. A. — Miss. ms. Hilariense LI saec. 15. B. — Miss. ms. Alrispacense saec. 15. Clm. Monacens. 2873 C. — Miss. ms. Zwethalense 229 saec. 14. D. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. bibl. publ. V 1 A 12. E. — Miss. ms. Salisburgense saec. 15. Cod. Palat. Vindob. 1778. F. — Miss. Aquilegiense imp. Venetiis 1508. G. — 3b, 2 Mel de turba A. — 5a, 3 Ad dicendum E. — 6b, 1 Tortorque EF. — 7a, 1 cessatur AB.

#### 159. De sancta Esa.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Coeli sphaera volutatur,<br>Esa virgo educatur<br>Ex virtutum laribus,                       | 1b. Iris coeli demum facta,<br>Microcosmi spernit pacta,<br>Christi juncta floribus.                 |
| 2a. Gentem fugat mundialem,<br>Carnem purgat animalem<br>Suis a squaloribus,                     | 2b. Tota mente preces serit,<br>Corpus ejus lictor ferit<br>Suis cum sodalibus.                      |
| 3a. Ejus corpus parillare<br>Praesul Christi transfert care<br>Dominici fratribus,               | 3b. Nutu Dei ibi deget,<br>Qui implorant, hos tunc reget<br>Lucis suae facibus.                      |
| 4a. Dulce decus virginalē,<br>Lumen Dei radicale,<br>Purga a peccati sale<br>Vocis tuae oraculo. | 4b. O Vienna, salutaris,<br>Digna Deo nunc vocaris,<br>Esaē prece dum amaris<br>Terso prius piaculo. |

5a. Rogitamus mente tota,  
Tu pro nobis funde vota,  
Ut peccati strage mota  
Nos illustret solis rota  
Depulsa omni nebula.

5b. Felix virgo, sponsa Christi.  
Phoebo lucis tu arsisisti,  
Ut fugata morte tristi  
Regnum vitae adipisci.  
Possimus in gloria.

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477. A. — Clm. Monacens. (ol. Eberspergens.) 6017 saec. 15. B. — 2 b, 1 Vota mente A. — 3 a, 1 chorus parillare B.

160. De sancta Eulalia.

1a. Psallat plebs egregia  
Et coelestis regia  
Praecelsum Alleluja.  
2a. Nubens Dei filio  
Cum pudoris lilio  
Pulchra Sion filia  
3a. Cujus vita speculum  
Radiat per saeculum  
Et per terrae spatia,  
4a. Haec virgo laudabilis  
Stirpe fuit nobilis,  
Et vita mirabilis  
Et mentis constantia,  
5a. Colens Deum  
Propter eum  
Ad insani  
Sat tyranni  
Perfert tribunalia,  
6a. Virgo passa  
Flammis assa  
Cor obturat  
Et non curat  
Poenas, ignes, verbera.  
7a. Liquescentis undas plumbi  
Ferunt virginales lumbi  
Et olei incendia  
Patiuntur ferventia.  
8a. Mea rosa  
Speciosa,  
Meus thronus  
Tibi pronus,  
O decora,  
Jam est, ora,  
Surge, veni, propera.

1b. Flos perennis gloriae  
Sponsum duxit hodie  
Coelestem Eulalia.  
2b. A rege sidereo  
Serta compta roseo  
Palمام fert et lilia.  
3b. Quam replevit coelitus  
Virtus sancti spiritus  
Et divina gratia.  
4b. Sub patre Liberio  
Et ejus imperio  
Dei ministerio  
Vacans ab infantia.  
5b. Hunc incusans  
Et recusans  
Blandimenta  
Per tormenta  
Ducitur Eulalia.  
6b. Caro lenis  
Datur poenis,  
Fert invictus  
Amor ictus  
Et poenarum vulnera.  
7b. Patientem mox clientem  
Fert insignem crux post ignem,  
Quam post victa supplicia  
Christi vocat clementia.  
8b. Haec post dicta  
Morte victa  
In columbae  
Forma mundaе  
Se fidelis  
Virgo caelis  
Reddit petens aethera.

9 a. Cujus membra rigida  
Nix respersit candida,

9 b. Nos ducat purissima,  
Quo pervenit, anima.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parasiens. 778. —  
Mel.: Mane prima sabbati.

161. De sancto Evurtio.

1 a. Summo regi regnantium  
Urbs Aurelianensium  
Laudes reddat jugiter,

1 b. Qui pastorem propitium  
Sanctum dedit Evurtium  
Valde mirabiliter.

2 a. Dum obit Desinianus  
Pontifex Aurelianus,  
Urbs praesule caruit,

2 b. Evurtius mente sanus,  
Subdiaconus Romanus,  
Illuc casu paruit.

3 a. Cum a columba monstratur  
Trina vice, proclamatur  
Dignus in ecclesia;

3 b. Levita tunc ordinatur,  
Pastor inde consecratur  
Paracliti gratia.

4 a. Urbem igne succedente,  
Christum sancto deposcente  
Quiescunt incendia,

4 b. Templum Christi mox augente  
Humum quoque fodiente  
Auri patet copia.

5 a. Quam transmittens imperanti  
Scito casu non curanti  
Hanc cum duplo remisit,

5 b. Plebi tantum fabricanti  
Ac de bonis suis danti  
Consum purum dimisit.

6 a. Ecclesia consummata  
Cum honore dedicata  
Dotatur reliquiis,

6 b. In qua fuit celebrata  
A praesule missa sancta  
Cum suis obsequiis.

7 a. Dum hostiam consecravit,  
Manus hanc sanctificavit  
Condescendens coelitus;

7 b. Christus sibi revelavit  
Obitum, tunc subrogavit  
Praesulem divinitus.

8 a. Jesu, decus confessorum,  
Miserere miserorum  
Evurtii precibus,

8 b. Ut hic coetus famulorum  
In saecula saeculorum  
Regnet in coelestibus.

Miss. ms. Saugenovefianum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL.  
Fol. 1 add. saec. 15.

162. De sancto Felice.

1 a. Felix festum, felix dies,  
Quo Felici datur quies  
In aeterna gloria,

1 b. Urbe natus Scillitana  
Mundi sprevit atque vana  
Mundanorum studia.

2 a. Vitae pergens ad coronam  
Empuricas, Barcinonam  
Et Gerundam docuit,

2 b. Ubi captus et ligatus  
Fuit et incarceratus,  
Quia Christum coluit.

3 a. Fustibus caesus ac fractus,  
Per plateas omnes tractus  
Mulis ab indomitis;

3 b. Capite verso suspensus,  
Quixallensi mari mersus  
Molis superpositis;

- |   |  |
|---|--|
| <p>4 a. Inde tamen liberatus<br/>Et ad terram reportatus<br/>Psallendo per maria,</p> <p>5 a. Deinde jussit majora<br/>Rufinus et sine mora<br/>Renovari vulnera,</p> <p>6 a. In Gerunda tumulatur<br/>Et in coelo sociatur<br/>Ceteris martyribus,</p> <p>7 a. Ergo Felix, martyr sancte,<br/>Nos exaudi et duc ante<br/>Christum, Dei filium;</p> | <p>4 b. Ab angelis est sanatus<br/>Et tormenta confortatus<br/>Ne timeret talia.</p> <p>5 b. Ungulis dilaniari<br/>Et a carne denudari<br/>Minutatim latera.</p> <p>6 b. Gemma fulgens ante Christum<br/>Mundum clarificat istum<br/>Vita et virtutibus.</p> <p>7 b. A peccatis nos emunda,<br/>Ne nos laedat mors secunda,<br/>Fac preces ad Dominum.</p> |
|---|--|

Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309. — 2 a, 2 Impu-  
ricas Hs.

163. De sancto Fiacrio.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. Lucernae novae specula<br/>Illustratur Hibernia,<br/>Corruscat Meldis insula<br/>Tantae lucis praesentia.</p> <p>2 a. Ad vitam solitariam<br/>Suspirans exit patriam,<br/>Faronem Meldis reperit,<br/>Cui suum votum aperit.</p> <p>3 a. Dum locum signant baculo,<br/>Novo nemus miraculo<br/>Tamquam caesum dejicitur,<br/>Humo non fossa cingitur</p> <p>4 a. Damnat opus malefici,<br/>Diffamat artem magici,<br/>Praesentandus hic praesidi<br/>Lassus insedit lapidi.</p> <p>5 a. Orat, ne loci limina<br/>Immunis intret femina;</p> <p>6 a. Hic miseris refugium,<br/>Infirmis refrigerium,<br/>Peregrinis hospitium,<br/>Spes lapsis, moestis gaudium.</p> <p>7 a. Virtutum fulget titulis,<br/>Medetur caecis oculis,<br/>Polypo, fico, calculis,<br/>Febribus, morbis singulis.</p> | <p>1 b. Illa misit Fiacrium,<br/>Haec missum habet radium,<br/>Habent commune gaudium,<br/>Haec patrem, illa filium.</p> <p>2 b. Hunc loco solitario<br/>Locat in solo proprio,<br/>Sic fit Johanni similis<br/>Cultor deserti sterilis.</p> <p>3 b. Sic viri sancti meritum<br/>Loci dilatat ambitum,<br/>Res innotescit feminae,<br/>Accusat dum de crimine.</p> <p>4 b. Lapis cedit nec caeditur,<br/>Petrae sedes insculpitur,<br/>O feminae nequitia,<br/>Petrae major duritia.</p> <p>5 b. Haec est causa, cur feminae<br/>Arcentur ejus limine.</p> <p>6 b. Vitam artat jejunio,<br/>Somno brevi, cilicio,<br/>Se dum occultat latebris,<br/>Mundo fit magis celebris.</p> <p>7 b. Fidentem in Fiacrio<br/>Nulla laedit corruptio,<br/>Pia cujus devotio<br/>Purgat ab omni vitio.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovevae Parisiens. BBL. Fol.  
12. A. — Miss. ms. Ord. ss. Trinitatis saec. 14. Cod. Mazarin. 430 (233)

B. — Miss. ms. Parisiense saec. 14/15. Cod. Parisiens. 12062. C. — Miss. ms. Parisiense anni 1481. Cod. Parisiens. 17315. D. — 3 b, 4 accusat ut BC. — Die Einteilung der Strophen weicht ab, namentlich in B, wo stets zwei Zeilen eine Halbstrophe bilden.

164. De sancto Firmino.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Vocis cum camoena<br>Plaudit mens serena,<br>Dum scandit amoena<br>Firminus coelestium ; | 1 b. Haec est dies laeta,<br>Qua fortis athleta<br>Christi morte spreta<br>Vocatur ad gaudium.  |
| 2 a. Hic dignus laurea<br>Legens ex aurea<br>Virtutum area<br>Lilia cum rosulis,              | 2 b. Firmum vas fidei<br>Sagena fit Dei<br>Et piscatur ei<br>Plurimos ex populis.               |
| 3 a. Sacri praesulatus<br>Adeptus cacumen,<br>Gratia ditatus<br>Gratum reddit lumen.          | 3 b. Docet, quam sit stultum<br>Et res quam profana,<br>Falsum sequi cultum,<br>Fabricare fana. |
| 4 a. Alvernus praedicat<br>Vir sanctus dyscolis<br>Christoque dedicat,<br>Quod aufert idolis. | 4 b. Belvacum veniens<br>Incurrit vincula,<br>Sed Christus leniens<br>Tollit pericula.          |
| 5 a. Solutus carcere<br>Fidem disseminat<br>Nec curans parcere<br>Fructus ingeminat.          | 5 b. Ambianensium<br>Animas ambiens<br>Exit exsilium<br>Ad Christum transiens.                  |
| 6 a. Hunc vir profanus<br>Sebastianus<br>Per diras manus<br>Decollat in carcere.              | 6 b. Ergo, Firmine,<br>Zeli camine,<br>Nos sine fine<br>Fac cum Christo vivere.                 |

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. — Mel. = Ave maris stella, Mellis coeli cella.

165. De sancto Firmino.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Triumphanti cruore proprio<br>Tuo, Sion, applaude filio,<br>Ab hoc tandem carnis exsilio<br>Respiranti.     | 1 b. Felix dies, felix martyrium,<br>Quo paratur currenti bravium,<br>Fesso quies et regni solium<br>Exsulanti. |
| 2 a. Vir illustris, Hispanus genere,<br>Fide firmus, potens in opere,<br>Speciali virtutum munere<br>Sublimatus, | 2 b. Pastoralis fungens officio,<br>Miro gregi providet studio,<br>Sacro Deum non minus otio<br>Contemplatus.   |
| 3 a. Urbs Agensis per hunc credit,<br>Sed et ipsa sancto cedit<br>Belvacis perfidia ;                            | 3 b. Ubi tamen post certamen<br>Poenae probat hunc examen<br>Et agunt supplicia.                                |

- |  |   |
|--|---|
| <p>4a. Sed exstincto mox tortore<br/>Vir beatus a squalore<br/>Liberatur carceris</p> <p>5a. Mens devota<br/>Deo vota<br/>Prodit, tamen per immota<br/>Caritatis studia</p> <p>6a. Suam tandem Ambianis<br/>Profanatam Deūm fanis<br/>Firminus ingreditur,</p> <p>7a. Sic per eum seminatur,<br/>Unde Deo referatur<br/>Sanctae messis copia,</p> <p>8a. Ubi nece pretiosa<br/>Cum cruoris sui rosa<br/>Migravit a saeculo</p> <p>9a. Quem cum dignis<br/>Christus signis<br/>Declaravit,<br/>Dum monstravit<br/>Locum solis radio,</p> <p>10a. Ave, martyr venerande,<br/>Vitae nobis viam pande,<br/>Duc rogantes ad optandae<br/>Visionis gaudia;</p> | <p>4b. Et assertor veritatis<br/>Gratis data donat gratis,<br/>Vitae forma ceteris.</p> <p>5b. Clamat foris<br/>Vis amoris<br/>Et, quod celat os actoris,<br/>Pandit famae gratia.</p> <p>6b. Hic leprosis munda cutis,<br/>Caecis lumen, sermo mutis<br/>Ejus ope redditur.</p> <p>7b. Nam diversi sexus, aevi<br/>Baptizantur mora brevi<br/>Tria fere milia.</p> <p>8b. Et ad decus sepulturae<br/>Delibuto myrrha, thure<br/>Quievit in tumulo.</p> <p>9b. Cum naturae<br/>Fracto jure<br/>Bruma risit<br/>Et emisit<br/>Rosam junctam lilio.</p> <p>10b. Ut ab hoste liberati<br/>Resignemur claritati<br/>Et perenne trinitati<br/>Cantemus Alleluja.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL. Fol. 12.

166. De sancto Francisco.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Exsulta, Sion filia,<br/>Laudans inscrutabilia<br/>In Francisco consilia,<br/>Divina, mirabilia.</p> <p>2a. Laudemus hunc laudabilem,<br/>Miremur admirabilem,<br/>Sequamur imitabilem,<br/>Precemur venerabilem.</p> <p>3a. Haec signorum magnitudo,<br/>Prophetiae altitudo,<br/>Claritatis latitudo<br/>Probant efficacia.</p> <p>4a. Morbi varii curati<br/>Caecique illuminati,<br/>Mortui resuscitati<br/>Dant his testimonia;</p> | <p>1b. Qui mirus hic ingrediens,<br/>Mirificus progrediens,<br/>Securus hinc egrediens,<br/>Sanctus sanctos aggreddiens.</p> <p>2b. In quo patris potentia<br/>Prolisque sapientia,<br/>Paracliti clementia<br/>Lucet in eminentia.</p> <p>3b. Nam huic parent elementa,<br/>Coeli patent sacramenta,<br/>Pietati mens intenta<br/>Cummulata gratia.</p> <p>4b. Bruta suum mutant ritum,<br/>Aves verbo dant auditum,<br/>Solvit vincis compeditum<br/>Ejus sanctimonia.</p> |
|---|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>5a. Sed quid signa desideras,<br/>Cur sanctum non consideras,<br/>Signatas qui fert litteras<br/>Bulla summi pontificis?</p> <p>6a. Miles prius incredulus<br/>Palpans fit testis patulus,<br/>Papam cruoris rivulus<br/>Scaturiens certificat.</p> <p>7a. O Francisce, pater pie,<br/>Cui luxit nox pro die,<br/>Sis lucerna nostrae viae<br/>Nunc et mortis articulo.</p> <p>8a. Qui solaris ut adspectus<br/>Igneo in curru vectus<br/>Gazae fratrum es invectus<br/>Caritatis aestibus,</p> | <p>5b. Quam Seraph tulit coelitus,<br/>Excepit vir angelicus<br/>Impressam carni coelitus<br/>Manu summi artificis.</p> <p>6b. Cesset ergo dubietas<br/>Et aemula impietas,<br/>Nam testium nimietas<br/>Haec omnia ratificat.</p> <p>7b. Sis protector filiorum,<br/>Informator quoque morum,<br/>Intercessor peccatorum,<br/>Tutor ab hostis spiculo.</p> <p>8b. Fac nos tecum inflammari,<br/>Moribus te imitari,<br/>Ut tibi consociari<br/>Possimus in coelestibus.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Attilense anni 1450. Clm. Monacens. 3311. A. — Miss. Pata-  
viense imp. 1503. B.

#### 167. De sancto Gabriele.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Proloquium altum recitemus<br/>Gabrielis, ut nos incitemus,<br/>Ad amorem omnes vocitemus,<br/>Ad has laudes corda, ora<br/>demus:</p> <p>2a. Benedicta et venerabilis,<br/>Pia, prudens, decora, nobilis,<br/>Universis incomparabilis,<br/>Tibi nunquam fuit consimilis.</p> <p>3a. Te creavit Deus mirabilem,<br/>Te respexit ancillam humilem,<br/><br/>Te quaesivit sponsam ama-<br/>bilem,<br/>Tibi nunquam fecit consimi-<br/>lem.</p> <p>4a. Quia tamen caput es virginum,<br/>Et laus summa non habens<br/>terminum,<br/>Angolorum laudes et hominum<br/>Promereris prima post Dominum.</p> | <p>1b. Imperatrix, cujus imperio<br/>Tota gaudet coelestis concio,<br/>Tanta laus est tibi in filio,<br/>Quod humana non capit ratio.</p> <p>2b. Te creavit pater ingenitus,<br/>Obumbravit te unigenitus<br/>Fecundavit te sanctus spiritus,<br/>Tu es facta tota divinitus.</p> <p>3b. Te beatam laudare cupiunt<br/>Omnes sancti, sed non suffi-<br/>ciunt,<br/>Nam tot laudes tibi conveniunt,<br/>Quod laudantes omnes defi-<br/>ciunt.</p> <p>4b. Cum humani sisteret generis<br/>Loqui praeco dignior caeteris,<br/><br/>Vale dicit reginae aetheris,<br/>Cujus sedes manet in superis.</p> <p>5. Vale, sancta sanctorum omnium,<br/>Laus et honor, decus fidelium,<br/>Aula Christi, domus palatium,<br/>Deitatis reclinatorium.</p> |
|---|--|

Miss. Ultrajectinum imp. Parisiis 1507. A. — Miss. Sarisberienſe imp. Parisiis 1521 B. — Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae. 1540. C. — 1 a, 4 damus B. — 2 b, 3 spiritus sanctus ABC verſtellt, wie der Reim beweist. — 4 b, 1 ſiſteret humani ABC gegen die Betonung.

168. De ſancta Genovefa.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Ad te confugimus,<br>Virgo, flos Franciae,<br>Per teque poſcimus<br>Regis clementiae<br>Misericordiam.       | 1b. Offer, o domina,<br>Ejus praesentiae<br>Noſtra precamina,<br>Pacis et veniae<br>Reportans gratiam.      |
| 2a. Te diligentium<br>Per ſacra dogmata<br>Interna mentium<br>Et per charismata<br>Clementer inſtruat,           | 2b. Male credentium<br>Per orbis climata<br>Et malignantium<br>Fraudes et ſchismata<br>Potenter deſtruat.   |
| 3a. Te ſanctus pontifex<br>Antisiodori<br>Lapsorum opifex<br>Sanctam Nanthodori<br>Vidit per ſpiritum.           | 3b. Te praesul villicus<br>Electus meminit,<br>Coetus angelicus<br>Ob tuum cecinit<br>Natalem inclitum.     |
| 4a. Sanas hydropisim<br>Devotis precibus,<br>Lepram, paralysim,<br>Et mutis faucibus<br>Vocem reſtituis.         | 4b. Succurris ethnicis<br>Febricitantibus,<br>Caecis, lunaticis<br>Et morbis omnibus,<br>Vitam das mortuis. |
| 5a. Ergo, ſponſa Dei,<br>Genovefa pia,<br>Tua licet rei<br>Sacra ſubſidia<br>Devote petimus.                     | 5b. Virgo magnanimis<br>Nos puſillanimes<br>Purgatis animis<br>Redde unanimes<br>Christo, dum vivimus.      |
| 6a. Moestos laetificet,<br>Errantes corrigat,<br>Stantes firmificet,<br>Jacentes erigat,<br>Per te cunctipotens. | 6b. Per tua merita,<br>Per matrem gratiae<br>Remittens debita<br>Det dona gloriae<br>Nobis aſtripotens.     |

Miss. ms. Sangenoveſianum ſaec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 1. add. ſaec. 15 B. — Miss. ms. S. Victoris ſaec. 14/15 Cod. Parisiens. 14282. B. — 3a, 4 Namthodori B. — 4b, 1 ethnicis AB.

169. De ſancta Genovefa.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Sanitati dat languentes<br>virginis oratio, | 1b. Genovefa naufragantes<br>ſalvavit in fluvio. |
| 2a. Revelatur monialis<br>pccasse coram Deo,    | 2b. Baptizatur Cellomerus<br>ſubmersus in puteo. |



- |  |  |
|--|--|
| 3a. Vase dato ecce matri<br>fit visus redditio,    | 3b. O quam probat sanctam. Dei<br>ardentum curatio.    |
| 4a. Ergo laudes Genovefae<br>decantet haec concio, | 4b. Nam, qui poscit illam corde<br>procul pulso vitio, |
| 5a. Sanitatis et gratiae<br>gaudet beneficio,      | 5b. Quod det nobis rex gloriae<br>ipsius suffragio.    |

Grad. ms. Confratern. S. Sebastiani Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 204. — Mel. = Sospitati dedit aegros. — 2b, 1 Cellomeris; cfr. Acta SS. Jan. I, p. 141.

### 170. De sancta Genovefa.

#### 1. Virtutes paschalis agni celebrent Christiani.

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Sanctus sanctorum sanctam<br>Elegit Genovefam,<br>Quae docuit mores<br>Peccatores.                           | 2b. Mortem vita patulo<br>Fugat in infantulo,<br>Cum per hanc mortuus<br>Surgit vivus.                                  |
| 3a. Dic nobis, o pia,<br>Quis sic fecit talia?<br>Potestas Christi viventis<br>Ad sui laudem et bonum<br>gentis. | 3b. Germanus est testis<br>Et curia coelestis,<br>Quod Christus fuit spes mea,<br>Sed haec negavit quondam<br>gens rea. |
| 4a. Credendum et magis soli<br>Germano veraci<br>Quam perfidorum<br>Turbae mendaci.                              | 4b. Scimus Deum elegisse<br>Genovefam vere,<br>Per illam nostri,<br>Rex, miserere.                                      |

Miss. ms. Sengenovefanum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 1. add. saec. 15. A. — Miss. ms. S. Victoris Parisiens. saec. 14. ex. Cod. Parisiens. 14448. add. saec. 16. B. — Grad. ms. Confratern. S. Sebastiani Parisiens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 204. C. — Mel.: Victimae paschali.

### 171. In Translatione s. Genovefae.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Virgo venerabilis,<br>Virgo prudens, humilis,<br>Virgo, Dei filia,        | 1b. Sponsa regis gloriae,<br>Memento familiae,<br>Regi reconcilia.           |
| 2a. Veni, virgo, propera,<br>Servos tuos libera<br>Ab omni molestia;          | 2b. Veni, ne tardaveris,<br>Confer opem miseris,<br>Dum quaerunt subsidia.   |
| 3a. Adsis praesens opere,<br>Quae praesens es corpore<br>Hac jacens ecclesia; | 3b. Totum corpus vidimus,<br>Jam nullus est Didymus,<br>Apud nos sunt omnia. |

- |  |  |
|--|--|
| <p>4a. Corpus totum oculis<br/>Sed et caput osculis<br/>Summa reverentia</p> | <p>4b. Contrectati fuimus,<br/>Sic utrumque clausimus<br/>Sed in theca alia.</p> |
| <p>5a. Virgo dilecta Deo,<br/>Hoc impetres ab eo,<br/>Ut concessa venia</p>  | <p>5b. Sanctis tuis precibus<br/>Cum beatis omnibus<br/>Vivamus in gloria.</p>   |

Miss. ms. Sangenovefianum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 1. add. saec. 15. — Mel. offenbar: Veni sancte spiritus. — Man sieht dieser Prose sofort an, dafs sie ein Gelegenheitsgedicht ist. Dieselbe ist jedenfalls im Jahre 1242 verfaßt aus Anlaß der am 18. Oktober dieses Jahres vollzogenen Übertragung der Gebeine der Heiligen in einen neuen Schrein. Eine Beschreibung dieses Vorganges enthält Cod. Parisiens. 5553 saec. 14. in. unter der Aufschrift: „Tractatus de translatione sanctae Genovefae virginis, quem composuit Magister Jacobus de Dignant et legitur ad mensam die ejusdem translationis quae est V. Kal. Novemb.“ Zugegen waren bei der Feier der Abt Robertus de Firmitate Milonis (de la Ferté Milon), der Prior Simon de Bachivalle, der Subprior Girardus de Baratris und 47 Ordensbrüder. Da der der Abtei sehr befreundete Jakob von Dinant, seit 1240 archidiaconus Morinensis, seit 1247 episcopus Atrebatensis, den Traktat de translatione geschrieben, so liegt die Vermutung nahe, ihn auch für den Verfasser der Sequenz zu halten, die so ganz unter dem Eindruck des soeben Miterlebten geschrieben erscheint. Vgl. Gallia Christiana VII (ed. 1764) p. 738. sq.

172. In festo miraculorum s. Genovefae.

Prima die.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Virgo, gemma pretiosa,<br/>Virtuosa, luminosa,<br/>Fulget per miracula,</p>       | <p>1b. In aetate dum tenella<br/>Genovefa movet bella<br/>Hostis contra jacula.</p>      |
| <p>2a. Fide firma roboratur<br/>Et vi crucis coarmatur<br/>Virtutum ad opera,</p>        | <p>2b. Illi cedunt elementa,<br/>Ignis, aer et portenta,<br/>Quae perturbant aera.</p>   |
| <p>3a. Aer udus serenatur,<br/>Sicca tellus humectatur<br/>Virginis per merita,</p>      | <p>3b. Claudi, surdi, caeci, muti<br/>Sanitatem consecuti<br/>Gaudent ope praestita.</p> |
| <p>4a. Dat vindictam de profanis,<br/>Testis est Aurelianus<br/>Praesule de proprio;</p> | <p>4b. Novit urbs Parisiensis<br/>Poenam parvis pro expensis<br/>Lapso capicerio.</p>    |
| <p>5a. Ignem sanat Stygialem,<br/>Omnem pestem corporalem<br/>Firmiter credentibus;</p>  | <p>5b. Ergo, virgo, nos exaudi<br/>Et devotos tuae laudi<br/>Salva tuis precibus.</p>    |

Miss. ms. Sangenovefianum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 1. add. saec. 15. — 2b, 1 Illi credunt.

173. In festo miraculorum s. Genovefae.

Secunda die.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Cleri coetus<br>Genovefae cantet laetus<br>Alleluja,                               | 1 b. Matri caecae<br>Reddit visum sola prece,<br>Res miranda.                                 |
| 2 a. Jam coelis sublimior<br>Refulget splendidior<br>Omni stella;                       | 2 b. Throno coeli residens<br>Regnat regna possidens<br>Semper clara.                         |
| 3 a. Mundi munda maculis<br>Vitae sanctae populis<br>Fuit forma,                        | 3 b. Ejus pudicitia<br>Non carnis spurcitia<br>Fit corrupta.                                  |
| 4 a. Choris juncta superis<br>Miseretur miseris<br>Valle nostra,                        | 4 b. Ejus prece pellitur<br>Languor, mutus loquitur<br>Voce sumpta.                           |
| 5 a. Dum vacaret precibus,<br>Anus plena fraudibus<br>Raptis sotularibus<br>Fuit caeca. | 5 b. Sed, quos furtim detulit,<br>Quia plorans retulit,<br>Visum virgo contulit<br>Benedicta. |
| 6 a. Haec loca supera<br>Lustrat et infera,<br>Ubi clauditur<br>gens misera.            | 6 b. O felix, propera,<br>Duc nos ad aethera,<br>Quo virgo regnat<br>puerpera.                |

Miss. ms. Saugenovefianum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL.  
Fol. 1. add. saec. 15. — Mel. natürlich: Laetabundus.

174. In festo miraculorum s. Genovefae.

Tertia die.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Virginis egregiae<br>Genovefae hodie<br>Pangatur memoria,                         | 1 b. Pro cujus miraculis<br>Cantatur ab angelis<br>In excelsis gloria.              |
| 2 a. Hic aetate tenera<br>Vita vivens aspera<br>Carnem domat propriam,                 | 2 b. Quae facta sponsa Dei<br>Semper assistens ei<br>Frequentat ecclesiam.          |
| 3 a. Flens, orans assidue<br>Restaurat matri suae<br>Claritatem luminis,               | 3 b. Urbs a gente barbara<br>Obsessa fit libera<br>Per meritum virginis.            |
| 4 a. Probant calcis inventio,<br>Viri de coelo missio,<br>Reaccensi cerei.             | 4 b. Per hanc falsa revelatur<br>Virgo, daemon effugatur<br>Vase latens olei.       |
| 5 a. Cacci, surdi, claudi, muti<br>Lepra, febri stant soluti,<br>Cessant morbi genera; | 5 b. Sed majus est, quod reversus<br>Est ad vitam infans mersus<br>Ejus ope supera. |

- |   |   |
|---|---|
| <p>6a. In sepulchro dum jacuit,<br/>Lampas arsit nec minuit<br/>Ante corpus oleum,</p> <p>7a. Latro supplicans salvatur,<br/>Rotoninus neci datur<br/>Non dans reverentiam;</p> <p>8a. Ignis culpaē, tumor cordis,<br/>Omnis, virgo, signum sordis<br/>Recedat prece tua,</p> | <p>6b. Liquore cujus liniti<br/>Sanitati sunt redditi<br/>Omnes aegri per eum.</p> <p>7b. Sacer ignis exstinguitur,<br/>Aqua tumens restringitur<br/>Per ejus praesentiam.</p> <p>8b. Ut mundati servi tui<br/>In coelis possimus frui<br/>Tecum luce perpetua.</p> |
|---|---|

Miss. ms. Sangenovefianum saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL.  
Fol. 1. add. saec. 15. — 4a, 1 Probat. — 5b, 3 Cujus.

175. De sancto Geremaro.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Geremari annua<br/>Laude plebs dulciffua<br/>Celebret solemnna;</p> <p>2a. Ex Francorum genere,<br/>Claro clarus opere,<br/>Duxit hic originem;</p> <p>3a. Orbatus parentibus<br/>Satis locupletibus<br/>Locuples relinquitur,</p> <p>4a. Jugo leni subjicit<br/>Christi se humiliter,<br/>Curas vanas abjicit<br/>Carnem domans jugiter.</p> <p>5a. Per beatum Audoenum,<br/>Virum sanctum, Deo plenum<br/>Praecellenti gratia,</p> <p>6a. Vox de coelis est haec facta:<br/>Octo lustra sunt transacta,<br/>Ut Christus pro meritis</p> <p>7a. Ros locum hunc illustravit<br/>Et impressus designavit<br/>Ut geometri virgula<br/>Monachis habitacula.</p> <p>8a. O beate Geremare,<br/>Vir insignis, vir praeclare,<br/>Apud Christum<br/>Chorum istum<br/>Clementer concilia,</p> | <p>1b. Laus a corde prodeat,<br/>Ut laudato placeat<br/>Laudantis melodia.</p> <p>2b. Sacris datus litteris<br/>Suscipit a superis<br/>Morum plenitudinem.</p> <p>3b. Mundi temnens gloriam<br/>Rerum affluentiam<br/>Corde non amplectitur.</p> <p>4b. A tumultu populi<br/>Esse cupit longius,<br/>Ut contemptor saeculi<br/>Coelo fiat propius.</p> <p>5b. Sibi datur, ut precatur,<br/>Locus gratus exoptatus,<br/>Quo fiat ecclesia.</p> <p>6b. Suo caro Geremaro<br/>Destinavit et paravit<br/>Locum hunc, quem cernitis.</p> <p>7b. In hoc loco mundus vixit,<br/>In supernis mentem fixit,<br/>Ut vitae summae pabula<br/>Obtineret per saecula.</p> <p>8b. Ut fons summae pietatis<br/>Mundum mundans a peccatis<br/>Servos suos<br/>Atque tuos<br/>Mundet data venia.</p> |
|--|---|

9. Amen dicant omnia.

Prosar. ms. Bellovacense saec. 15. Cod. Parisiens. 1140.

176. De sancto Germano.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Lux illuxit triumphalis,<br/>In qua cursus agonalis<br/>Evoluto spatio</p> <p>2 a. Mole carnis liberatur<br/>Et a Christo coronatur<br/>Regni diademate,</p> <p>3 a. Celebremus diem istam,<br/>In qua suum agonistam<br/>Coronavit Dominus;</p> <p>4 a. Luctus labor et certamen<br/>Transierunt, sed solamen,<br/>Sed quies, sed praemia,</p> <p>5 a. Jam illuxit, o Germane,<br/>Tibi clare illud mane,<br/>Quod non habet vesperum,</p> <p>6 a. In hac valle lacrimarum,<br/>In hoc loco tenebrarum,<br/>In hac solitudine</p> <p>7 a. Invenisti fidum ducem,<br/>Qui te duxit ad hanc lucem,<br/>Dei patris unicum,</p> <p>8 a. Gaude, pater, et exsulta,<br/>Quia merces tua multa,<br/>Quia multa gloria;</p> <p>9 a. Inter coeli senatores<br/>Collocaris, ut exores<br/>Christum, verum judicem,</p> | <p>1 b. Stola prima decoratur<br/>Et secundam praestolatur<br/>Germanus cum gaudio.</p> <p>2 b. Jam adeptus, quod quaerebat,<br/>Clare videt, quod videbat<br/>Prius in aenigmate.</p> <p>3 b. Finis fuit in agone,<br/>Sed honoris, sed coronae<br/>Nullus erit terminus.</p> <p>4 b. Quae nunc a te, Jesu Christo,<br/>Tuo dantur agonistae,<br/>Finis erunt nescia.</p> <p>5 b. Cessat lucta, cessat luctus,<br/>Et ad urbem es perductus<br/>In qua nil est miserum.</p> <p>6 b. Suspirabas et plorabas<br/>Et ad lucem anhelabas,<br/>Quae caret caligine.</p> <p>7 b. Qui de pugna redituro<br/>Et ad regnum profecturo<br/>Tibi dat viaticum.</p> <p>8 b. Coelum tibi reseratur,<br/>Te recepto gloriatur<br/>Tota coeli curia.</p> <p>9 b. Proni tibi supplicamus,<br/>Ne nostrarum sentiamus<br/>Hunc culparum vindicem.</p> |
|---|---|

Tropar. ms. S. Martialis Lemovicensis saec. 13. Cod. Parisiens. 1086. A. — Miss. ms. Parisiense. saec. 14/15 Cod. Parisiens. 830 B. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 146. C. — Miss. ms. Parisiense anni 1481. Cod. Parisiens. 17315. D. — Miss. Majoris Monasterii imp. s. l. anno 1508. E. — De sancto Martino A; De sancto Maclovio E. — 1 b, 3 Martinus A; Macutus E. — 5 a, 1 O Martine gegen den Reim A; illuxit non inane E. — Str. 7 a und 7 b fehlen E. — 8 b, 2 Te percepto C. — Mel.: Lux advenit veneranda mit Abweichungen in der letzten Strophe.

177. De sancto Gerardo.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Agrippinensis plantula<br/>Floruit in ecclesia,</p> <p>2 a. Hic vir Gerardus nomine,<br/>Praeclarus ex origine,</p> <p>3 a. Hic literarum studia<br/>Secutus non inania</p> | <p>1 b. Cujus odor in saecula<br/>Fraglat in coeli curia.</p> <p>2 b. Orbem replevit lumine<br/>Fulgenti sanctitudine.</p> <p>3 b. Ad virtutum insignia<br/>Spiravit ab infantia.</p> |
|---|---|

- |   |  |
|---|--|
| 4a. Fervens ejus devotio<br>In virginali pectore  | 4b. Non latuit sub modio<br>Sed fulsit omni tempore.   |
| 5a. Nam Dei providentia<br>Mundus a labe criminum   | 5b. Ascendit per humilia<br>Sacrorum gradus ordinum.   |
| 6a. Quam felix Leuca civitas,<br>In qua grandis jucunditas  | 6b. Tam reverendo praesule<br>Adepto Deo consule.  |
| 7a. Dum suscepit hic solium<br>Tullense, crevit gaudium,<br>Dei domus hospitium<br>Fundavit dans edulium. | 7b. Oves gregis dominici<br>Deducens corde simplici<br>Pasebat cibo duplici<br>Panis et verbi coelici.             |
| 8a. Collatum tribus pabulum<br>Recepit per miraculum,<br>Pro aqua vini poculum<br>Gustans arguit famulum. | 8b. Suae plaudunt praesentiae<br>Campanae simul curiae,<br>Templum purgat ingluvie<br>Ad se natant reliquiae.      |
| 9a. Absens vidit incendium,<br>Praesens novit daemonium<br>Divinumque collegium<br>Consecrans oratorium.  | 9b. Hinc farina non defuit<br>Vel far, cum fames irruit,<br>Dum pauper unus abfuit,<br>Pro fratre Christus adfuit. |
| 10a. Hunc sanctum pater luminum<br>Sua fovens clementia   | 10b. Post notum vitae terminum<br>Secum traxit ad gaudia.  |
| 11a. Corruscant adhuc hodie<br>Pastoris mirabilia,  | 11b. Dum calculosis anxie<br>Subvenit ejus gratia.   |
| 12a. Nos Gerardi memoriam<br>Agentes cum laetitia   | 12b. Christus ducat ad gloriam<br>Per ipsius suffragia   |

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592.

178. De s. Germano Antisiodorensi.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Moduletur vox amoena,<br>Vox suavis, vox serena,<br>Vox devotione plena<br>Germani praeconia.                          | 1b. Haec sunt dona tua, Christe,<br>Quibus praesul sanctus iste<br>Vires Johannis Baptistae<br>Vicit abstinentia. |
| 2a. O doctrinae fons abundans,<br>Fons praeclarus, fons redun-<br>dans,<br>Rigans hortos et fecundans<br>Totius ecclesiae. | 2b. O miranda virtus cunctis,<br>Vitam quater dat defunctis<br><br>Et expellit ab inunctis<br>Actorem nequitiae.  |
| 3a. Signo crucis sacrae manus<br>Mutio resurgit sanus<br>Et respondet Cassianus<br>In sepulchro mortuus.                   | 3b. Laesae majestatis rei<br>Supplicemus corde ei,<br>Ut sit in conspectu Dei<br>Tutor noster strenuus.           |

Miss. ms. Antisiodorensis saec. 14. Cod. Parisiens. 17316. — Mel. wohl: Verbum bonum. — 2a, 3 hortus. — 3b, 1 Sese.

179. De sancta Gertrude.

1. Ave, Gertrudis, virgo grata,  
Ex regali stirpe nata.
- 2 a. Leprosos mundare non spre-  
visti  
Ob amorem Jesu Christi.
- 2 b. Caecis viam demonstrasti,  
Pauperes, nudos collocasti,
- 3 a. Quibus tu hospitia  
Dedisti suavissima.
- 3 b. O virgo, nunc fideliter  
Oraque suppliciter
4. Jesum Maria filium,  
Ut nobis donet hospitium  
In suo Palatio  
Cum aeterno gaudio.

Miss. sec. notulam dominorum Theutonicorum. imp. Nurembergae 1500.

180. De sancto Gotthardo.

- 1 a. Jubar lucis inoffensae  
Sidus spargit Altahense.  
Fugans umbram noctis densae  
Claritatis radio;
- 1 b. Lumen hoc plebs sequi debet  
Bavarorum, quod non hebet,  
Sed ad coelos iter praebet  
Ex hoc mundi stadio.
- 2 a. Ab hac gente ducens ortum  
Godehardus iter tortum  
Declinavit, coeli portum  
Quaerens ab infantia;
- 2 b. Demum litteris imbutus,  
Novum hominem indutus,  
Christi vias est secutus  
Vigili constantia.
- 3 a. Sumpsit post praeposituram  
Benedicti vestem duram,  
Sub qua quatuor in curam  
Abbatias recipit;
- 3 b. Cathedra mox nolens fungi,  
Somno per Mariam ungi  
Sese cernit et injungi  
Onus, quod rex praecipit.
- 4 a. Factus praesul templum fulsit,  
Mire daemones evulsit  
Perjuranti nec indulsit,  
Dum fraus morte patuit;
- 4 b. Morituram moriturus  
Abatissam praesul purus  
Dum praedixit, ordo durus  
Mortis hunc non latuit.
- 5 a. Quam sit certus hic propheta,  
In decano vitae meta  
Demonstravit sic impleta,  
Ut pater praedixerat.
- 5 b. Voto pectoris anhelii  
Patriam quaesivit caeli,  
Quam Brunone cum fideli  
Petit, ut praefixerat.
- 6 a. Ascendenti coascendens  
Tu tuere nos defendens,  
Tuae super nos extendens  
Pietatis dexteram;
- 6 b. Bavarorum flos insignis,  
Tu nos precibus benignis  
Junge coelo Deo dignis,  
Non ut gentem exteram.
- 7 a. Ne sit pes in cursu tardus,  
Nostra pretiosa nardus,  
Post se trahat Godehardus  
Prece nos ad aethera.
- 7 b. In odore nos suorum  
Currere det unguentorum,  
Ubi viget aeternorum  
Novitas post vetera.

Miss. ms. Mellicense 979 saec. 15. A. — Miss. ms. Sitanstettense CCXLVII saec. 15. B. — Miss. ms. Ratisbonense saec. 15. Clm. Monacens. 23053. C. — Miss. Pataviense imp. 1503. D. — 3a, 4 recepit A. — 3b, 4 praecepit AB.

181. De sancto Gotthardo.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Haec est sancta solemnitas,<br>Laudetur sancta trinitas<br>Pro Gotthardo praesule, | 1b. Aequetur inaequalitas,<br>Consurgat omnis caritas<br>Pro coelesti exsule.         |
| 2a. Imitentur hunc mortales,<br>Ut sint sibi commensales<br>In coelesti patria,        | 2b. In qua sistunt triumphales,<br>Justi, sancti, immortales<br>Per aeterna saecula.  |
| 3a. Hic praesul stat in acie<br>Dira constrictus macie,<br>Ut veheretur spiritu,       | 3b. Pallor manet in facie,<br>Ut tempus adsit gratiae<br>Sic tuti ab interitu.        |
| 4a. Dies adsunt jubilaei,<br>Ut solvantur omnes rei<br>A quolibet facinore:            | 4b. Pascha primus, penthecoste<br>Finem dat, ut nos ab hoste<br>Tutemus et a scelere. |
| 5a. Pie praesul, nos conserva<br>Et in coelis coacerva<br>Cum sanctis in gloria,       | 5b. Alleluja decantemus,<br>Sanctum virum collaudemus<br>In aeterna saecula.          |

Miss. ms. Cremsense saec. 15. Cod. Pragense. XII. B 13. A. — Miss. ms. Vissegradense V C. saec. 15. B. — Miss. Cracoviense imp. Nurembergae 1492. C. — Miss. Pragense imp. Venetiis 1503. D. — 3a, 1 stans ACD.

182. De sancto Gouluino.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Creaturae creatorem<br>Venerantur, dum honorem<br>Ejus sanctis exhibent,            | 1b. Honor ergo, laus Gouluino,<br>Quem dilectum Deo trino<br>Ejus gesta perhibent.   |
| 2a. Quem in terris sublimavit<br>Christus signis et ditavit<br>Multiformi gratia,       | 2b. Quem amavit, quem ornavit<br>Et cum sanctis coronavit<br>In perenni gloria.      |
| 3a. Cujus ortu dono Dei<br>Fons immensae speciei<br>Prope partum oritur,                | 3b. Quo decumbens recreatur<br>Mater, infans baptizatur,<br>Aegris salus redditur.   |
| 4a. A primaevo carnem arcet,<br>Aqua paneque non marcet<br>Adspirans ad gaudium,        | 4b. Christi cultor verbo, vita,<br>Virgo semper, eremita,<br>Triplex vicit proelium. |
| 5a. Ventum, frigus nullus homo,<br>Qua latebat, sentit domo,<br>Quam non intrat femina. | 5b. Ejus prece debellavit<br>Dux Evenus et prostravit<br>Barbarorum agmina.          |
| 6a. Tres campanas et totidem<br>Auri cruces fecit idem<br>De transmisso pulvere,        | 6b. Ejus jussu Romae latus<br>Se portantem morti datus<br>Nullo pressit pondere.     |



- 7 a. Aletanis postulatus  
 Contradicens est sacratus  
 Manu papae propria,  
 8 a. Laboranti Christi vitae  
 Dat in sero Christus vitae  
 Perennis denarium,

- 7 b. Multa signa subticentur,  
 Auditorum ne graventur  
 Aures propter taedia.  
 8 b. Quem currentes sic sequamur,  
 Ut per ipsum consequamur  
 Sancto curso bravium.

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098.

183. De sancto Guillermo.

- 1 a. Gaude Sion sponsa Christi,  
 Quae Guillerum peperisti  
 Senescente gratia,  
 2 a. Briocensis gentes soli  
 Suo solvant vota soli  
 Tota cum Britannia,  
 3 a. Ab aetate puerili  
 Declinavit ab hostili  
 Carnis petulantia,  
 4 a. Miserorum miserator,  
 Pietatis operator  
 Erat manu propria,  
 5 a. Vi compulsus exsulavit  
 Nec impulsus declinavit  
 A Dei justitia,  
 6 a. Sanctitatis argumenta  
 Sunt virtutes et portenta,  
 Quae fecit insignia,  
 7 a. De Guillermo virtus manat,  
 Febres curat, morbos sanat,  
 Expellit daemonia,  
 8 a. O Guillerme, nova stella,  
 Servos serves a procella  
 Trina maris obvia,

- 1 b. In occasu novum solem,  
 In senecta nasci prolem,  
 Signa probant varia.  
 2 b. Glorientur in Guillermo,  
 De quo digne magnus sermo  
 Licet in ecclesia.  
 3 b. Quam coegit obedire  
 Legi mentis et servire  
 Munda conscientia.  
 4 b. Cum afflictis est afflictus,  
 Caritate sic amictus  
 Discumbit in gloria.  
 5 b. Ponens enim spem in Deo,  
 Fidens erat quasi leo,  
 Agnus patientia,  
 6 b. Sancti corpus post bimatum  
 Est inventum illibatum  
 Mira cum fragrantia.  
 7 b. Surdi, caeci, claudi, muti  
 Sunt salutis restituti  
 Per ejus suffragia.  
 8 b. Et ad portum nos salutis  
 Applicare fac virtutis  
 Tuae providentia.

Brev. ms. Redonense saec. 15. Parisiens. 1098.

184. De sancto Hermagora.

- 1 a. Plebs fidelis Hermachorae  
 Gratuletur in honore,  
 De quo Marci successore \* \* \* \*  
 Gaudet Aquileia, \* \* \* \*  
 2 a. Gentem culpa veterem \* \* \* \*  
 Reddens fide puberem \* \* \* \*  
 Hermagoras mittitur,

- 1 b. Cujus consors Fortunatus,  
 Nam cum illo coronatus  
 Passione socia.  
 2 b. Qui contemptis omnibus  
 Poenis et tortoribus,  
 Non minis, non precibus  
 Nec terrore frangitur.

- |   |  |
|---|--|
| <p>3 a. Quo precante Dominum<br/>Pro se et pro ceteris<br/>Fulget pater luminum<br/>In occulto carceris.</p> <p>4 a. Fama lucis nuntiatur,<br/>Caeca lumen contempletur,<br/>Fide patris liberatur<br/>Puer a daemonio;</p> <p>5 a. Quem Sevastus nomine<br/>Seu se vastans crimine<br/>Pro Christi certamine<br/>Vinctum tradit carceri;</p> | <p>3 b. Pontianus igitur<br/>Lumen missum coelitus<br/>Videt et efficitur<br/>Templum sancti spiritus.</p> <p>4 b. Unde multi baptizati<br/>Manu sancti Fortunati<br/>Dant honorem trinitati,<br/>Credunt Dei filio.</p> <p>5 b. Ubi simul socias<br/>Sanctas reddunt gratias,<br/>Illatas injurias<br/>Adscribentes muneri.</p> |
|---|--|
6. Noctu quorum opere  
Diescit religio,  
Decollantur in carcere,  
Praefigurat gloriae.

Miss. Aquilejense imp. Venetiis 1508.

185. De sancto Hieronymo.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. Sion felix, gratulare,<br/>Coeli cives contemplare<br/>Pio mentis oculo,</p> <p>2 a. Suae flore juventutis<br/>Causa qui erat salutis<br/>Omnibus credentibus,</p> <p>3 a. Paginam scripsit divinam,<br/>Linguas vertit in latinam<br/>Cardinalis inclitus,</p> <p>4 a. Pauli sequax et baptistae,<br/>Caelibis evangelistae,<br/>Quis stupere sufficit,</p> <p>5 a. Tandem fit Bethlehemita,<br/>Pridem quamquam eremita,<br/>Translator veridicus,</p> <p>6 a. Leo claudus mire ferus<br/>Custos fit aselli verus<br/>Patris beneficio.</p> <p>7 a. Vitam alme rege pater,<br/>Carcer ne post ipsam ater<br/>Claudat nos, Hieronymè,</p> | <p>1 b. Inter quos offertur unus,<br/>Large qui coeleste munus<br/>Dulci hausit poculo.</p> <p>2 b. Diro verberere correctus,<br/>Liquit, quo erat illectus,<br/>Cunctis prorsus nutibus.</p> <p>3 b. Probra tulit subditorum,<br/>Censor quorum erat morum<br/>Adjutus divinitus.</p> <p>4 b. Passiones, autumavit<br/>Dulces multum quas amavit<br/>Mens humana, refugit.</p> <p>5 b. Haeresum rictus obstruxit,<br/>Fidem sacram sic adstruxit<br/>Doctor hic magnificus.</p> <p>6 b. O quam miris fulsit dignis<br/>Post et ante mortem signis<br/>Domini auxilio.</p> <p>7 b. Sed deposce, collaudare<br/>Deum, tecum conregnare<br/>Propulsa formidine.</p> |
|--|---|

Sequent. ms. Cremifanense saec. 15. Append. post Miss. Roman. imp. Venetiis 1484 A. — Miss. Pataviense imp. 1503 B. — 2 a, 2 quod erat A. — 2 b, 1 Diu verberere B. — 2 b, 2 quod erat AB. — 6 b, 1 fulget dignis B.

186. De sancto Hieronymo.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Cum fiducia pergamus<br/>Nunc ad thronum gratiae,<br/>Gratiam ut acquiramus<br/>Et condignas valeamus<br/>Deo laudes hodie<br/>Dare de Hieronymo;</p> <p>2a. Sacris cum virginibus<br/>Virgo hic Hieronymus<br/>In vase sumpsit oleum,<br/>Ut posset sic in gaudium<br/>Cum Domino intrare.</p> <p>3a. Dei vox intercidentis<br/>Hic flammam est libidinis<br/>Et vox cedros confringentis,<br/>Superbia ut hominis<br/>Deorsum inclinetur.</p> <p>4a. Lux sicut in meridie<br/>Adhuc sic lucet hodie<br/>Per vitam et doctrinam,</p> <p>5a. Ergo lucem dum habetis,<br/>Vos in luce ambuletis,<br/>Ut lucis sitis filii,</p> <p>6a. De ligno fonteque vitae<br/>Reficit ecclesiam,<br/>Ob hoc omnes hunc adite,<br/>Refecti ut per gratiam</p> <p style="text-align: center;">Fiat is reviventes.</p> <p>7a. O pater amantissime,<br/>Praedulcis dux Hieronymo,<br/>In via fer auxilium,<br/>Ne mundi per exsilium<br/>Ruamus in pericula;</p> | <p>1b. Vita, verbo, qui monstravit<br/>Viam, quae ad patriam<br/>Tendit, qua praeambulavit,<br/>Ut sequamur, nos vocavit,<br/>Veram laeto gloriam<br/>Ut intremus animo.</p> <p>2b. Virginum praefulgidam<br/>Portat nunc aureolam<br/>Cantans carmen, quod omnibus<br/>Non licet sed virginibus<br/>Dumtaxat decantare.</p> <p>3b. Vox revelans est condensa,<br/>Ut omnes dicant gloriam<br/>Gratia nunc pro impensa,<br/>Purgante culpae scoriā,<br/>Ut poenitens salvetur.</p> <p>4b. Ne quis in hoc exsilio<br/>Sit sine lucis radio,<br/>Ut caveat ruinam.</p> <p>5b. Ut ad illam, quam optatis,<br/>Vitam veram veniatis<br/>De lumine Hieronymi.</p> <p>6b. Atque deprece eum,<br/>Nam praesto est precantibus,<br/>Ut pro nobis oret Deum<br/>Hunc hymnum decantan-<br/>tibus,<br/>Humiliter dicentes:</p> <p>7b. Sed tecum ut in patria<br/>Possimus frui gloria,<br/>Ubi tunc regem omnium<br/>Nos in decore inclitum<br/>Videbimus in saecula.</p> |
|--|--|
- Grad. Monasteriense imp. s. l. et a.

187. De sancto Hilario.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Ad illuminandum mundum<br/>Hilarium, virum mundum,<br/>Sanctum, justum et facundum<br/>Deus nobis praebuit.</p> <p>2a. In personis trinitatem,<br/>In utrisque paritatem,<br/>Deitatis unitatem<br/>Absque differentia,</p> | <p>1b. In tenebris ambulantes<br/>Haereticos et errantes<br/>Veram fidem speculantes<br/>Fecit et edocuit.</p> <p>2b. Aenigmata prophetarum<br/>Et figuras scripturarum<br/>Verbis evangelistarum<br/>Concordavit omnia.</p> |
|--|--|

- |   |  |
|---|--|
| <p>3a. Miraculis decoratus,<br/>Dum vivebat vir beatus,<br/>Pictavorum praesulatus<br/>Functus est officio.</p> | <p>3b. Nobis suum juvamen det<br/>Hilarius et emendet,<br/>Emendatos nos commendet<br/>Dei patris filio.</p> |
|---|--|

Cod. Parisiens. 1146. — Mel. offenbar: Verbum bonum.

188. De sancto Hippolyto.

1. Martyris Hippolyti, patroni,  
festa recolamus;

- |  |  |
|--|--|
| <p>2a. A quo Laurentius beatus<br/>Custodiae mancipatus<br/>Suae strictus est vinculis.</p>      | <p>2b. Qui cujusdam captivati<br/>Gemitu lumine privati<br/>Visum dedit oculis.</p>                  |
| <p>3a. Hippolytus, adhuc paganus,<br/>Hoc viso fit Christianus<br/>Vanis relictis idolis;</p>    | <p>3b. In catholica informatus<br/>Lege, post haec baptizatus,<br/>Adhaesit Christicolis.</p>        |
| <p>4a. Postquam corpus sepelivit<br/>Laurentii, tunc introivit<br/>Domum suam propriam;</p>      | <p>4b. Dedit servis et ancillis<br/>Pacem magnis et pusillis<br/>Communicans familiam.</p>           |
| <p>5a. Militibus ergo vocatis<br/>Et pro eo destinatis<br/>Ad mensam sedens capitur;</p>         | <p>5b. Decius hunc captum videns<br/>Prae ira dixit subridens:<br/>Numquid hic magus efficitur?</p>  |
| <p>6a. Quo peractis Caesar verbis<br/>Blandis instat et acerbis<br/>Minisque Hippolyto;</p>      | <p>6b. Sed nec Caesaris tormenta<br/>Revocant nec blandimenta<br/>Eum a proposito.</p>               |
| <p>7a. Nam quo magis tormentatur,<br/><br/>Eo magis inflammatur<br/>Christi amoris incendio.</p> | <p>7b. Non timet temporalem mor-<br/>tem,<br/>Ut aeternae vitae sortem<br/>Possideat cum gaudio.</p> |
| <p>8a. Hic in morte judicatus<br/>Et ad equos alligatus<br/>Christo Deo confessus est;</p>       | <p>8b. Pro fide Christi a paganis<br/>Inhonestis ac insanis<br/>Martyrium perpeusus est.</p>         |
| <p>9a. O martyr, miles Christi fortis,<br/>Hora incumbente mortis<br/>Armis tuae potentiae</p>   | <p>9b. In nos orphanos intende<br/>Et ab insidiis defende,<br/>Ut jus est militiae.</p>              |
| <p>10a. O gloriose Christi miles,<br/>Nos servos salva licet viles<br/>Ab inferni miseria,</p>   | <p>10b. Ut nos coelum introire<br/>Possimus tibi que servire<br/>In coelesti curia,</p>              |

Et licet immeriti  
Faciem Christi videamus.

Miss. Ultrajectinum imp. Parisiis 1507 A. — Miss. Ultrajectinum imp. Antwerpiae 1540 B.

189. De sancto Hugone.

- 1 a. Personemus solemnī gaudio  
Hugonis laudes cum tripudio.
- 1 b. Qui ex primis ortus Burgundiae  
Nobilium celsa progenie
- 2 a. Resplenduit claris natalibus,  
Sed clarior fuit virtutibus.
- 2 b. Intraus claustra Cluniacensium  
Sprevit opes et mundi gaudium.
- 3 a. Factus abbas vocante gratia  
Tantam domum rexit industria,
- 3 b. Ut diffusa crescat virtutibus  
Cunctis paene Europae finibus.
- 4 a. Hinc in sede capitularia  
Cum sedebat, Christi praesentiam
- 4 b. Hildebrandus videre meruit,  
Qui post papa Romanus claruit.
- 5 a. Hic daemonem expulit precibus  
A Stephani papae conspectibus,
- 5 b. Sub sancti spiritus praesentia  
Fugavit Aeduae daemonia.
- 6 a. Tectus aeger ejus pellicea  
Mox exiit leprae contagia.
- 6 b. Hoc testatur factum Vasconia  
Multa sanctum colens frequentia.
- 7 a. Parisius Hugo descenderat,  
Qua Robertus aderat debilis.
- 7 b. Pius pater debilem precibus  
Relevavit turbis mirantibus.
- 8 a. Saepe vidit cordium abdita,  
Prophetiae novit abscondita.
- 8 b. Nunc coelorum sublimis gloria  
Nos adjuvet jugi clementia.

Miss. ms. S. Martini de Campis anni 1408 Cod. Mazarin. 416 (235)  
A. — Miss. Cluniacense imp. in Cluniaco 1493 B. — Miss. Cluniacense  
imp. Parisiis 1550. C. — 8b, 1 sublimis est BC; sublimis et A.

190. De sancto Jacobo.

1. Ad honorem et decorem  
Hujus festi nos modesti  
Deo demus gloriam,

- 2a. Qui creator et salvator  
Rectis corde sine sorde  
Largitur victoriam.
- 3a. Qui perfectus et electus,  
Qui peritus et fulcitus  
Omni sapientia.  
Quem videre voluit,  
Verum Deum coluit  
Pura conscientia.
- 4a. Tota vita non invite  
Deo servit nec protervit  
Mente vivens sobria,
- 5a. Sed nec poenis nec catenis  
Revocatur, quin sequatur  
Domini vestigia,
- 6a. Hinc mucrone decollatur  
Et ad coelum invitatur  
Multa post miracula,
- 7a. Martyr Dei, te precamur,  
Elabora, ne labamur,  
Cum injustis ne perdamur,  
Dele nostra crimina.
- 8a. Ubi salus et honestas,  
Ubi virtus et potestas,  
Ubi florum et odorum  
Omnis delectatio;
9. Ubi vitae certitudo,  
Mira semper pulchritudo,  
Ubi decor disciplinae,  
Ubi lucet sine fine  
Veri solis claritas.
- 2b. Laudem Deo decantemus  
Et beati celebremus  
Jacobi memoriam,
- 3b. Non abscondit hic talentum  
Nec ipsius est inventum  
In ore mendacium,  
In cunctis operibus  
Subvenit pauperibus  
Vitae dans solatium.
- 4b. Deo toto servit voto,  
Multa gentis saevientis  
Sustinet opprobria.
- 5b. Templata frangit idolorum  
Et ad fidem cor multorum  
Mollit per prodigia.
- 6b. Sic a carne destitutus  
Verum solem est secutus,  
Agnum sine macula.
- 7b. O beate Deo grate,  
Fer solamen et juvamen,  
Pande genti te colenti  
Paradisi limina.
- 8b. Ubi sine labe quies,  
Omni carens nube dies,  
Dies vernus sempiternus  
Cum omni solatio.

Miss. Slesvicense imp. in Sleswic 1486. — Mel. vermutlich: Laudes crucis. — 5a, 2 sensatur.

### 191. De sancto Jacobo.

- 1a. Gratulemur  
Et laetemur  
Summa cum laetitia,
- 2a. In gloriosi Jacobi  
praefulgenti victoria,
- 3a. Qui dum esset in hoc mundo  
Tamquam maris in profundo  
Praedicans incredulis,
- 1b. Laetabunda  
Et jucunda  
Gaudeat Hispania
- 2b. Qui scandens coelos hodie  
coronatur in gloria.
- 3b. Fidem sanctae trinitatis  
Verus praeco veritatis  
Nuntiabat populis.

- 4a. Quidam magus Hermogenes  
suum misit discipulum,
- 5a. Cum Jacobus Zebedaei  
Praedicaret verbum Dei,  
Philetus interfuit,
- 6a. Et nimirum  
Dei virum  
Fallere non potuit,
- 7a. Jacobus plenus gratia  
Dat legis testimonia,  
In promptu tenet omnia.
- 8a. Cum esset in hospitio,  
A magistro fit quaestio,  
Quae sit Jacobi ratio.
- 9a. Messiae incarnatio  
Et sub Pilato passio  
Sunt apostoli ratio,
- 10a. Dei dicit magnalia,  
Prophetarum praeconia  
Ducit in testimonia,
- 11a. Ut dicunt amici mei,  
Apostolus ille Dei  
Vere mortuos suscitavit,
- 12a. Tu, Philete, qui sic credis,  
Deos et idola laedis,  
Nunc te solvat apostolus.
- 13a. Tunc Philetus  
Vadit laetus  
Ad beatum Jacobum,
- 14a. Magus motus insania  
Vocat ad se daemonia,  
Per quorum magisteria  
Sua regebat studia.
- 15a. Quo cum irent daemonia,  
Jam sensere incendia.
- 16a. Serve Dei, miserere,  
Profitemur, nos ardere  
Ante tempus incendii;
- 17a. Sed vir plenus virtutibus  
Imperabat daemonibus,
- 18a. Huic est ostensa visio,  
Christi transfiguratio,  
Beato Petro socio  
Johanne fratre tertio.
- 4b. Ut temptaret apostolum  
qui convertebat populum.
- 5b. Falsa temptat asserere  
Et Jacobo resistere,  
Sed tandem dissiluit.
- 6b. Rationes  
Et sermones  
Cujus non sustinuit.
- 7b. Philetus stupens talia  
De Christo mirabilia  
Revertitur ad propria.
- 8b. Data fuit responsio,  
Quae esset praedicatio  
Vel sub quo testimonio.
- 9b. Et Christi resurrectio,  
Mirabilis ascensio  
Sunt ejus praedicatio.
- 10b. Et David vaticinia  
Sunt illi concordantia,  
Memoriter scit omnia.
- 11b. Saepe, cum sibi libuit,  
Claudis gressum restituit,  
Caecis visum suppeditat.
- 12b. Jacobus per vicarium  
Suum misit sudarium,  
Solutus est discipulus.
- 13b. Baptizatus  
Et renatus  
Facit se discipulum.
- 14b. Postquam venerunt daemones,  
Jussit eos Hermogenes,  
Ut caperent apostolum  
Et cum eo discipulum.
- 15b. Deficiunt imperia,  
Sic ululant clamantia:
- 16b. Apostole sancte Dei,  
Pie fili Zebedaci,  
Nunc egenus auxilii.
- 17b. Faciebat miracula,  
Sed quis narraret singula.
- 18b. Cum duobus discipulis.  
Segretatis apostolis,  
Deum conspexit oculis  
Transformatum in saeculis.

- |  |   |
|--|---|
| <p>19a. Cum esset in Thabor monte,<br/>Tres fecerunt sua sponte<br/>Tria tabernacula.</p> <p>20a. O gloriose Jacobe,<br/>Sis protector plebi tuae<br/>Per singula,</p> | <p>19b. O quam beati oculi,<br/>Qui redemptorem saeculi<br/>Viderunt non per specula.</p> <p>20b. Dei natum transformatum<br/>Qui meruisti cernere<br/>Per saecula.</p> |
|--|---|

Trop. ms. S Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parisiens. 778. A. — Miss. ms. Burdigalense saec. 15. Cod. Parisiens. 871. B. — 2a, 1 Hinc gloriosi A. — 2a, 2 Praefulgentis B. — 5b, 3 displicuit A. — 6a fehlt A. 11a, 1 Et dicunt A. — 17a, 1 Hic vir plenus A. — 19a, 1 Dum esset B. — 19a, 2 Tres facerent A. — Mel. in Neumen mit einer Linie A.

### 192. De sancto Joachim.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. O virtutum vir perfecte,<br/>Pater virginis electae,<br/>Joachim, nos juva recte,<br/>Qui te rectum poscimus.</p> <p>2a. Obtulisti recta rectus,<br/>Recte Noe, vir perfectus,<br/>Et ut Moyses dilectus<br/>Deo et hominibus.</p> <p>3a. Clarens decimis oblati,<br/>Spretus rebus grate datis,<br/>Sustinebas plus quam satis<br/>Infecundus prospere.</p> <p>4a. Jesus, proles tuae natae<br/>Nec non Annae, matris gratae,<br/>Replet nos suavitate,<br/>Flos regalis germinis.</p> <p>5a. Te rogamus voto pari,<br/>Laude digna singulari<br/>Nos in portu salutari<br/>Sistat tua gratia.</p> | <p>1b. Isaias te radicem<br/>Praenotavit ut felicem,<br/>Unde virgam genitricem<br/>Floruisse novimus.</p> <p>2b. Abel te praefiguravit,<br/>Qui de ovibus, quas pavit,<br/>Meliores immolavit<br/>Inflammatis gregibus.</p> <p>3b. Haeres David, sancti regis,<br/>Et sanctorum priscae legis<br/>Tuis precibus nos tegis<br/>Velut agni vellere.</p> <p>4b. Magnae stirpis radix Jesse,<br/>Sentiamus hoc prodesse,<br/>Quod te patrem scimus esse<br/>Gloriosae virginis.</p> <p>5b. Vera mater orphanorum,<br/>Tu levamen oppressorum,<br/>Medicamen infirmorum,<br/>Tanti patris filia.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Ultrajectinum saec. 15. Cod. Bolland. 119 I. A. — Miss. Ultrajectinum imp. Parisiis 1507. B.

### 193. De sancto Jodoco.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Laudes Christo persolvamus,<br/>Nos qui sancti celebramus<br/>Jodoci solemnia,</p> <p>2a. Rege natus et regina<br/>Coelos gliscit et divina<br/>Deitatis gratia.</p> | <p>1b. Pater nobis opem mittat,<br/>Cujus vita nos invitat<br/>Ad coeli palatia.</p> <p>2b. Mundum sprevit et terrena,<br/>Mente quaerens Deo plena<br/>Paradisi gaudia.</p> |
|---|--|



- |   |  |
|---|--|
| 3a. Coetus noster hinc applaude,<br>Hunc honora dignum laude,<br>Qui vivit in gloria.   | 3b. Sciant omnes et singuli<br>Liquit gloriam saeculi<br>Et patris imperia.  |
| 4a. Regna fugit et patriam<br>Ac subivit per Sauliam<br>Pontini confinia,   | 4b. Tunc sub duce requievit,<br>Ibi Christo acquievit<br>Et ejus servitio.   |
| 5a. Huic se viro demonstravit,<br>Quando panem impetravit,<br>Deus vultu proprio;   | 5b. Panis datus non ingratus,<br>Immo cito reparatus<br>Divino consilio.   |
| 6a. Deo panem hic divisit,<br>Deus naves huic remisit<br>Plenas beneficio.  | 6b. Victum cunctis vir erogat,<br>Capit quisque, quantum rogat,<br>Respondente copia.  |
| 7a. Ruunt omnes cum gaudio,<br>Sed vir Dei prae taedio<br>Fessus linquit omnia;   | 7b. Inde transit ad deserta,<br>Deum sequens fide certa<br>Fugit transitoria.  |
| 8a. Lustra terens hic ferarum<br>Non horrescit vim earum,<br>Sedat quaeque noxia,   | 8b. Manu sua cogit aves,<br>Feri, lupi sunt suaves<br>In ejus praesentia.  |
| 9a. Opus fuit mirabile,<br>Ala fallitur aquilae<br>Prece viri saucia,   | 9a. O quam pura genitura<br>Fuit iste, Jesu Christe,<br>Vitae vitans devia.  |
| 10a. Vana spernens et levia,<br>Manu tenens non devia<br>Invia et non in via<br>Fecit domicilia.  | 10b. Romam vadens non moratur,<br>Revertenti praesentatur<br>Quaedam caeca, quae sanatur<br>Prece justae praevia.                |
| 11a. Hinc reversus ad altare<br>Stans et debens celebrare,<br>Dextram vidit consecrare<br>Gubernantis omnia.                              | 11b. Clausus tandem in tumulo,<br>Quantus fuit in saeculo,<br>Caro probat miraculo<br>Vitae viri conscia.                        |
| 12a. Quam cum male dux scrutatur,<br>Dum superbit, dum inflatur,<br>Morte turpi condemnatur,<br>Sic a Deo castigatur<br>Furentis insania. | 12b. Confessoris oratio,<br>Cujus fuit haec ultio,<br>Nos sanctorum consortio<br>Jungat; Amen haec concio<br>Sonet cum laetitia. |

Miss. Frisingense imp. Monachii 1579. — Mel. sehaint die des Laudes crucis zu sein.

#### 194. De s. Johanne Baptista.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Psallat chorus laetabundus<br>voce cum melliflua | 1b. Vocis odas declamantis<br>antra per hermitica. |
| 2a. Quibus tener latitavit<br>urbis vitans ludicra,  | 2b. Ne vel unquam os illius<br>verba daret vacua.  |
| 3a. Ibi sacer ille vixit<br>mira parsimonia,         | 3b. A quo panis longe fuit,<br>vinum atque sicera. |

- |   |   |
|---|---|
| 4a. Parvus erat illi cibus<br>mellis arundinei,         | 4b. Aqua sitim mitigabat<br>ripis in Jordanicis.      |
| 5a. Pannus asper membra texit<br>voluptatis nescia,     | 5b. Pilis camelorum tectus,<br>zona strictus lanea.   |
| 6a. Iste vatibus divinis<br>cunctis excellentior        | 6b. Atque salvatoris nostri<br>praeco manifestior.    |
| 7a. Namquem longe prophetarent<br>illi vaticinio,       | 7b. Hic venisse jam testatus<br>demonstravit digito.  |
| 8a. Istum sanctum super omnes<br>Deus honorificat,      | 8b. Trinitas cui soli semet<br>pandit et clarificat.  |
| 9a. Natum lavat, patrem audit<br>spiritumque conspicit, | 9b. Gloriosus, cuicumque<br>Deus sic se aperit.       |
| 10a. Hic pro nobis deprecetur<br>creatorem luminis,     | 10b. Ut resolvat mentes nostras<br>omni nexu criminis |
| 11a. Et in fine nos adscribat<br>summi porta culminis   | 11b. Et superni nos adjungat<br>consodales agminis.   |

Miss. ms. Pictavicense saec. 15. Cod. Parisiens. 872. A. — Miss. ms. Pictaviense saec. 15. Cod. Parisiens. 873. B. — Grad. ms. Jacobi de Vindocia saec. 16. in. Cod. Parisiens. 906. C. — 1b, 2 eremica B; eremitica C. — 2a, 2 tenet A. — 2b, 1 inquam A. — 8b, 1 soli servet A.

#### 195. De s. Johanne Baptista.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Gratuletur mundus iste,<br>Clara Johannis Baptista<br>Recolens praeconia;           | 1b. Ut adspectus illustretur<br>Et affectus inflammetur,<br>Ejus datur gratia.   |
| 2a. Tu, puer, plus quam propheta<br>Prophetarum quique meta,<br>Legis consummatio;      | 2b. Cum Josia zelo captus,<br>Cum Elia coelo raptus<br>Amoris incendio.          |
| 3a. Signis mundo nuntiatus,<br>Promens Christum nondum<br>natus<br>Datus es in gaudium; | 3b. Vita vivens angelorum,<br>Ut lucerna populorum<br>Monstrans Dei filium.      |
| 4a. Inter natos mulierum<br>Te commendat auctor rerum,<br>Ut normam justitiae,          | 4b. Patrem audis, lavas natum<br>Et amborum cernis flatum<br>In columbae specie. |
| 5a. Decus mundi, praeco Christi,<br>Primus coelum promisisti<br>Vere poenitentibus,     | 5b. Novum regem advenisse,<br>Novam legem attulisse<br>Declarans credentibus.    |
| 6a. Culpae tamen objurgator,<br>Virgo, martyr, praedicator,<br>Vincens per martyrrium;  | 6b. Da vincendi facultatem,<br>Ut per vitae novitatem<br>Coeli detur praemium.   |

Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511.

196. De s. Johanne Baptista.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Laetabundus,<br>Baptista, te laudat mundus,<br>Alleluja!                           | 1 b. Regem regum<br>Salutas in alvo matris,<br>Res miranda!                          |
| 2 a. Preco summi iudicis,<br>Natus es de sterili,<br>Sol de stella;                     | 2 b. O lucerna luminans,<br>Mundo semper rutilans,<br>Semper clara.                  |
| 3 a. Sicut sol das radium,<br>Illustrasti saeculum<br>Pari forma,                       | 3 b. Neque solis claritas<br>Neque tua sanctitas<br>Fit corrupta.                    |
| 4 a. Velut gigas exsultas<br>Praecurrendo semitas<br>Valle nostra,                      | 4 b. Verbum vox altissimi<br>Praecurris de sterili<br>Carne sumpta.                  |
| 5 a. Vates major homine<br>Testis es de lumine,<br>Plebs conversa desiit<br>Esse caeca. | 5 b. In Eliae spiritu<br>Paras viam Dei tu<br>Complens evangelica<br>Haec praecepta. |
| 6 a. Johannes, propera,<br>Prece nos libera,<br>Ne damnemur<br>gens misera;             | 6 b. Monstra cum dextera<br>Agnum in aethera,<br>Hunc quem genuit<br>puerpera.       |

Miss. Melitensium imp. Argentorati 1505. — Mel.: Laetabundus.

197. In Nativitate s. Johannis B.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Praecursoris et baptistae<br>Digne nos gaudere, Christe,<br>Praesta natalitio, | 1 b. Cujus multa adnotanda<br>Et plurimum admiranda<br>Docet generatio.                 |
| 2 a. A senibus procreatus<br>Innuit, quod finis datus<br>Est legi Mosaicae,         | 2 b. Quod loquelae subtractio<br>Patris probat, quae filio<br>Nato redit mirifice.      |
| 3 a. Lingua tacens finem legis,<br>Loquens notat novi regis<br>Gratiae initium,     | 3 b. Cujus se promptum monstravit<br>Praeconem, cum exsultavit<br>Matris intra gremium. |
| 4 a. Hunc Johannem nominavit<br>Angelus et indicavit<br>Vocandum parentibus,        | 4 b. Quem Deus sanctificavit,<br>In ventre praedestinavit<br>Prophetam in gentibus.     |
| 5 a. Dominus dixit de eo,<br>Quod non erat major eo<br>Inter natos mulierum,        | 5 b. Iste Christum baptizavit<br>Et digito demonstravit<br>Tollentem sordes scelerum.   |
| 6 a. Hic Elias aestimari<br>Sive Christus reputari<br>Noluit, immo negavit,         | 6 b. Sed praeconem novae legis<br>Et nuntium novi regis<br>Se praemissum affirmavit.    |

- |  |  |
|--|--|
| <p>7a. Baptismi poenitentiae<br/>Primus fuit et gratiae<br/>Praedicator eximius,</p> <p>8a. Cilicium fuit vestis,<br/>Aqua potus et pro escis<br/>Mel et locustas habuit.</p> <p>9a. Ejus os Deus posuit<br/>Ut gladium et acuit<br/>Ad reserenda vitia,</p> <p>10a. Magne praeco veritatis,<br/>Tuae magnanimitatis<br/>Muni nos praesidio,</p> | <p>7b. Hic vitam, quam praedicavit,<br/>In deserto consecravit<br/>Vivendo austerius.</p> <p>8b. Non arundo levitatis,<br/>Sed columna veritatis<br/>Cunctos constanter arguit.</p> <p>9b. Ut velut missa sagitta<br/>Plebis penetraret ita<br/>Cordium duritiam.</p> <p>10b. Ut hostibus superatis<br/>Sanctorum societatis<br/>Perfruamur praemio.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Paris. 1098. — 3b, 3 Mariae intra gremium. — 4a, 3 Vocandum a parentibus. — 4b, 2 In ventre et. — 9b, 3 duritia, was allerdings der Reim fordert.

198. In Nativitate s. Johannis B.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Gabrielis vox jucunda<br/>Corda fecit laetabunda<br/>Justorum sterilium,</p> <p>2a. Non credenti Zachariae<br/>Verbo coeli hierarchiae<br/>Usus linguae tollitur,</p> <p>3a. Puer hic de senibus<br/>Genitus parentibus<br/>Gratia superna.</p> <p>4a. Lucifer, nuntius solis,<br/>Rutilans ab altis polis<br/>Zachariae filius,</p> <p>5a. Johannes, vir tu cum stola,<br/>Sanctitatis forma sola,<br/>Vitae magisterium,</p> <p>6a. Qui sub annis teneris<br/>Intrans antra nemoris<br/>Gloriam vitavit,</p> <p>7a. Mel silvestre cum locustis<br/>Comedebat sine mustis<br/>Homo major homine,</p> <p>8a. Tali vita relucebat,<br/>Quod ipsum turba credebat<br/>Esse Christum Domini,</p> <p>9a. Praecursori dominico<br/>Laudes reddat cum cantico<br/>Mens serena,</p> | <p>1b. Elisabeth verecunda<br/>Dum de viro fit fecunda<br/>Post felix eloquium.</p> <p>2b. Cui qua scribit nomen die<br/>Johannes est nati, pie<br/>Mox loquela redditur.</p> <p>3b. Micuit hominibus<br/>Caecis peccatoribus<br/>Ut clara lucerna.</p> <p>4b. Praeco, vox et testis Christi,<br/>Mundo lucem ferens isti<br/>Veritatis radius.</p> <p>5b. Speculum virginitatis<br/>Et exemplum castitatis<br/>Multorumque gaudium.</p> <p>6b. Et in pannis asperis<br/>Norma casta posteris<br/>Vana declinavit.</p> <p>7b. Mentis hic illi minabat,<br/>Viam Christo praeparabat<br/>Salutari fame.</p> <p>8b. Sed haec fama parum fixit,<br/>Dum se tantum testem dixit,<br/>Datum vero lumini.</p> <p>9b. Ipsi digna praeconia<br/>Cantet atque solemnia<br/>Voce plena.</p> |
|---|---|

10a. Tu baptista salvatoris,  
Tanti particeps honoris,  
Prece semper sedula

10b. Fac, ut coelum conscendamus,  
Ubi tecum gaudeamus  
Per aeterna saecula.

Miss. ms. Attilense anni 1450 Clm. Monacens. 3311 A. — Miss. Melitensium imp. Argentorati 1505 B. — 1b, 2 Dum de verbo fit A. — 2b, 1 qua scripsit B. — 9b, 2 Cantetque B. Mel. offenbar: In coelesti hierarchia.

199. In Decollatione s. Johannis B.

1a. In praeconis et baptistae  
Expendatur dies iste  
Reverendo gaudio,  
2a. Venit enim plena malis  
Herodis dies natalis,  
Qua magnam coenam paravit,  
3a. Cui rex ait: Tibi dabo,  
Nec promissum retardabo,  
Quod volueris petere;  
4a. Haec a matre incitata  
Sponsione sibi data,  
Quod haberet, quod peteret,  
5a. Rex ob hoc mente laetatur,  
Sed fecte vultu tristatur  
Coram discumbentibus;  
6a. Spiculator saltatrici,  
Saltatrix dat genitrici  
Caput, quod sic habuit;  
7a. Corpus tamen auferentes  
Fideles et condientes  
Devote sepelierunt,  
8a. Ab Edissa civitate  
Caput Dei voluntate  
Receptum est et conditum,  
9a. O praecursor, praeconista,  
Lucerna, martyr, baptista,  
Pro nobis propitius

1b. Ut sanctitas attollatur  
Johannis et confundatur  
Herodis praesumptio.  
2b. Qua Herodiadis nata  
Diabolo agitata  
Placens omnibus saltavit.  
3b. Tunc propter Herodiadem  
Johannes die eadem  
Tenebatur carcere.  
4b. Non metuens scelus triste  
Regi dixit, quod baptistae  
Caput sibi traderet.  
5b. Jussit tamen decollari  
Sanctum et puellae dari  
Caput coram omnibus.  
6b. Proh, Herodes, quam obscoena  
Est tui natalis coena,  
Quae sanguine maduit.  
7b. Sed postea plebs funesta,  
Ne fierent sancti festa,  
Ossa per agros sparserunt.  
8b. Et digitum, quo monstravit  
Christum, illaesum servavit  
Ostensionis meritum.  
9b. Ora Deum et implora,  
Ut nos trahat mortis hora  
Ab imo superius.

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098. — 8a, 1 Ad Edissam civitatem.

200. In Decollatione s. Johannis B.

1a. Ad honorem tuum, Christe,  
Colimus sacra baptistae  
Johannis solemniam,

1b. Tua virtus praedicatur,  
Miles tuus dum laudatur  
Potitus victoria.

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Cujus gesta contemplando<br>Et per singula mirando<br>Stupendus efficior,      | 2 b. Inter natos mulierum,<br>Ut testatur sator rerum,<br>Non surrexit potior.     |
| 3a. Lucifer aeternae lucis,<br>Norma morum, praeco ducis,<br>Dux ad regna coelica, | 3 b. Angelus, sed non natura,<br>Verum virtutum figura,<br>Fallit fraus haeretica. |
| 4a. Sterilis hoc fecundatur,<br>Christus alvo salutatur,<br>Pater mutus loquitur;  | 4 b. Bonae spei adolescens<br>Major et in bonis crescens<br>Ultero silvis abditur. |
| 5a. Corpus domat jejunio,<br>Vigiliis, cilicio;                                    | 5 b. Pro vino lympha potio,<br>Locustae, mel refectio.                             |
| 6a. Pravorum mores corrigit,<br>Gessus nutantes dirigit.                           | 6 b. Virgo, decus castitatis,<br>Moechum duce[m] corripit.                         |
| 7a. Fiunt hinc ritu sinistro<br>Funesta natalitia,                                 | 7 b. Regem ducit ad jurandum<br>Puellae lascivia.                                  |
| 8a. O virtus justis mira,  | 8 b. O regis mens delira!  |
| 9a. Obtruncatur ab incestis<br>Decus pudicitiae,                                   | 9 b. Quod secatur, prorogatur<br>Exemplar ecclesiae,                               |
| 10a. Quod non nisi per aspera<br>Justus scandit sidera;                            | 10 b. Cujus decollatio<br>Nunc fit nobis gaudio.                                   |
| 11a. O baptista,<br>Dies ista<br>Cui psallit praeconia,                            | 11 b. Fac nostrorum<br>Peccatorum<br>Detergantur contagia.                         |
| 12a. Spiritus sancti gratia  | 12 b. Cuncta pellantur vitia.  |
| 13a. Gressus nostros, o lucerna,<br>Rege ducens ad superna<br>Paradisi gaudia,     | 13 b. Ubi pio gregi mixti<br>Canamus in laude Christi<br>Pium semper Alleluja.     |

Miss. ms. Burdigalense saec. 15. Cod. Parisiens. 871. — 1 b, 3 Potius. — 4 b, 3 additur. — 6 b, 2 Mecum ducem.

### 201. In Decollatione s. Johannis B.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Cum Johannis sanctitatem<br>Et Herodis feritatem<br>Franges, dolos, scelera                           | 1 b. Penso, sensus hebetatur,<br>Cor pavescit, mens fugatur,<br>Contremiscunt viscera.                 |
| 2 a. Quis in isto non miretur<br>Virtutis constantiam,<br>Quis in illo non causetur<br>Furoris instantiam? | 2 b. Damnans adulterium<br>Praeco pudicitiae<br>In Herode vitium<br>Arguit luxuriae.                   |
| 3 a. Dum notati sceleris<br>Notam vult abstergere,<br>Poenam sentit carceris<br>Punitus in carcere.        | 3 b. Verbum regi panditur,<br>Verbum dignum gratia,<br>Pro quo tamen trahitur<br>Sanctus ad supplicia. |

- |   |   |
|---|---|
| <p>4 a. Ortus sui diem festum<br/>Rex commutat in profestum<br/>Praecursoris sanguine;</p> <p>5 a. O mensa mirabilis,<br/>Immo miserabilis,<br/>Qua non potus funditur<br/>Sed cruor effunditur.</p> <p>6 a. Ludus placet, illi datur<br/>Petendi munus optio;</p> <p>7 a. Haec Johannis caput petit,<br/>Lictor illud ense metit<br/>Herodis imperio;</p> <p>8 a. Vinum luxus et furoris<br/>Novum potum dat cruoris,<br/>Novus potus funditur;</p> <p>9 a. O Johannes, legis norma,<br/>Juris splendor, vitae forma,<br/>Totus plenus gratia,</p> | <p>4 b. Namque dies prius festus<br/>Ex festivo fit profestus<br/>Hoc pollutus crimine.</p> <p>5 b. Ut majori gaudio<br/>Condiantur epulae,<br/>Miscentur convivio<br/>Ludicra virgunculae.</p> <p>6 b. Praecursoris praestolatur<br/>Caput matris consilio.</p> <p>7 b. Rex hoc potu satiatur,<br/>Quem sitivit, debriatur<br/>Sanguine innoxio.</p> <p>8 b. Novum propinat liquorem<br/>Vinum nutans in cruorem,<br/>Dum cruor effunditur.</p> <p>9 b. Post istius fluctus maris<br/>Nos ad vitae salutaris<br/>Dirige compendia.</p> |
|---|---|

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 13. Cod. Parisiens. 1086.

## 202. De s. Johanne Evangelista.

### 1. Laudes rex tibi p̄e canamus Christe,

- |  |  |
|--|--|
| <p>2 a. Cujus sanguine<br/>gaudet ecclesia,<br/>Christianorum gloria,</p> <p>3 a. Gaudent hodie<br/>tui famuli, Johannes<br/>quod dilectus<br/>tuus tecum manet<br/>in gloria,<br/>ut dies ista comprobat.</p> <p>4 a. Quis nos liberabit<br/>de morte perenni?<br/>Cur non imitemur<br/>facta tanti viri<br/>infelices et miseri.</p> <p>5 a. Jesu bone,<br/>fortis, sancte,<br/>misericors, p̄e,</p> <p>6 a. Nostros vitae actus * * *<br/>rege, * * *<br/>Nobis miserere * * *<br/>de tua sede, * * *</p> | <p>2 b. Apostolorum<br/>sacra confirmata<br/>auctoritate per orbem.</p> <p>3 b. Tibi etenim<br/>magis voluit conjungi,<br/>deliciis<br/>mundi quam miseris<br/>et caducis<br/>ut homo mortalis uti.</p> <p>4 b. Quis non obstupescet<br/>nomen tuum, Christe?<br/>Qui sic testes tuos<br/>provehis in orbe<br/>mirabili potentia.</p> <p>5 b. Verbum patris,<br/>vita mundi,<br/>ab alto respice.</p> <p>6 b. Dum sumus mortali<br/>in hoc corpore,<br/>Ad hoc natus es, Domine.</p> |
|--|--|

7. Ora pro nobis tu,  
Johannes, Dei athleta,  
in coelesti gloria.

Prosar. Bellocense saec. 15. Cod. Parisiens. 1140. — 6a, 1 vide actus. Hs.

203. De s. Johanne Evangelista.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Exsultemus<br>Solventes Deo deorum<br>Pia vota;                               | 1 b. Quem dilexit<br>Johannes manens in eo<br>Mente tota.                           |
| 2 a. Omnis homo studeat<br>Ad Johannis gaudia<br>Celebranda,                       | 2 b. Cujus apud Dominum<br>Sunt nobis auxilia<br>Postulanda.                        |
| 3 a. Hic post Christum abiit<br>Derelictis retibus<br>Navi spreta.                 | 3 b. Linqvens sponsam Dominum<br>Castitate sequitur<br>Praeelecta.                  |
| 4 a. Hic est, qui recubuit<br>Supra pectus Domini,<br>Dum fit cena.                | 4 b. Hic est, qui perhibuit<br>Christo testimonia,<br>Quae sunt vera.               |
| 5 a. Cujus inter alia<br>Virtutum insignia<br>Quanta fuit gratia,<br>Quam miranda! | 5 b. Huic enim homini<br>Ex praecepto Domini<br>Virgo datur virgini<br>Conservanda. |
| 6 a. O felix aquila,<br>Volans ad coelica<br>Dona suscipis<br>angelica.            | 6 b. Coelorum abdita,<br>Prius abscondita,<br>Tuo dogmate<br>sunt cognita.          |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parisiens. 778. — Mel.: Laetabundus.

204. De s. Johanne Evangelista.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Christo laudes<br>Decantet hic chorus psallens<br>Die ista,  | 1 b. Qua Johannes<br>Supernae mensae fratrumque<br>Fit conviva.      |
| 2 a. Qui multis et maximis<br>Claruit miraculis<br>Hac in vita;   | 2 b. Patrem, navim, nuptias<br>Seque liquit, Domini<br>Sequens vias. |
| 3 a. Carius hic ceteris<br>Supra pectus Domini<br>Cubans coenat;  | 3 b. Huic de cruce virgini<br>Virgo mater filii<br>Est commissa.     |
| 4 a. Fervens vicit oleum,<br>Tonsus ad ridiculum<br>Risit flagra. | 4 b. Propter evangelium<br>Subiit exsilium,<br>Ferrum, vincla.       |



- |  |   |
|--|---|
| <p>5a. Virus fidens sorbuit,<br/>Hoc exstinctos eruit,<br/>Vir vita refluavit<br/>Et matrona;</p> <p>6a. Hunc vocat, visitat<br/>Christus, et hic intrat<br/>Vivus foveam,<br/>petit aethra.</p> | <p>5b. Aurum hic de frondibus,<br/>Gemmas de silicibus,<br/>Fractas de fragminibus<br/>Fecit firmas.</p> <p>6b. Nunc te, Christe, nostra<br/>Vox rogant et vota<br/>Ipsi socia<br/>nos per saecula.</p> |
|--|---|

Grad. ms. Plagense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. B. — Miss. ms. Pragense XIV C 3 saec. 14. C. — Miss. ms. Schaeftlariense anni 1464 Clm. Monacens. 17018 D. — Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — Mel.: Lactabundus. — 1a, 1 Laudes Christo E. — 6b, 1 Tunc E.

### 205. De sancto Joseph.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Gaude, Joseph, fili David,<br/>Quem tam magno decoravit<br/>Deus privilegio,</p> <p>2a. Matri custos es donatus,<br/>Tu de regum stirpe natus<br/>Simul et pontificum;</p> <p>3a. Magnus honor Joseph datur,<br/>Cum Mariae desponsatur<br/>Genitrici gratiae,</p> <p>4a. Joseph justus visione<br/>Nec non allocutione<br/>Solatur angelica,</p> <p>5a. Joseph juste, Joseph pie,<br/>Joseph, defensor Mariae<br/>Atque dux coelestis viae,<br/>Impetres, ut omni die<br/>Vivamus christianiter.</p> | <p>1b. Ut sis suae matris custos,<br/>Consignatus inter justos<br/>Certo Dei nuntio.</p> <p>2b. Joseph, Jesu nutricius,<br/>Davidque consanguineus,<br/>Hoc genus magnificentum.</p> <p>3b. Virginitatem tenuit,<br/>Per ipsam clarus claruit<br/>In virtutum acie.</p> <p>4b. Cui Christus obedivit,<br/>Unde Joseph acquisivit<br/>Magna dona coelica.</p> <p>5b. Et a malo protegatur,<br/>Et hinc ire mereatur,<br/>Ubi luce contemur<br/>Atque Dei perfruatur<br/>Facies perenniter.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Trajectense saec. 15. Cod. Bollandian. 119. I. A. — Miss. Trajectense imp. Parisiis 1507. B.

### 206. De sancto Justo.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Adest dies gloriosa,<br/>Qua de valle lacrimosa<br/>Transfertur ad gaudia</p> <p>2a. Patre Justus ex Justino<br/>Natus ortu genuino<br/>Felix et Felicia,</p> <p>3a. Magnus Deus et sublimis<br/>Operatur in minimis<br/>Virtutum magna,</p> | <p>1b. Justus, puer qui novennis<br/>Columbinis volans pennis<br/>Penetrat coelestia.</p> <p>2b. Sanctitatis profert omen,<br/>Dum sortitur Justi nomen,<br/>Re justus et gratia.</p> <p>3b. Fortitudo qua tenellis<br/>Leonibus et agnellis<br/>Praestatur victoria.</p> |
|---|---|

- |  |   |
|--|---|
| 4a. Nihil prorsus imbecille,<br>Quod sustentat potens ille,<br>Quo subsistunt omnia; | 4b. Dat infanti robur viri,<br>Minus doctis experiri,<br>Quae vera scientia.    |
| 5a. Cujus ope Justus fortis<br>Non abhorret minas mortis,<br>Non pavet supplicia;    | 5b. Prophetia muneratur,<br>Dum tot donis subornatur<br>Et virtutum copia.      |
| 6a. Ambianis in regressu<br>Non declinat a congressu,<br>Sed forti constantia        | 6b. Caput offert insectanti,<br>Nec est sibi vita tanti,<br>Ut querat diffugia. |
| 7a. Caesa cervix orat patrem,<br>Reportetur ut ad matrem<br>Ad ejus solatia.         | 7b. Tua virtus, Jesu bone,<br>Quod sic certat in agone<br>Novennis infantia.    |
| 8a. Et tu, martyr pretiose,<br>Quem vernantes ornant rosae<br>Circumdant et lilia,   | 8b. Interpella summum regem,<br>Ut conservet suum gregem<br>Et coronet gloria.  |

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. Fol. 12. — 2a, e ex ortu. — 3a, 2 et in minimis. — 5a, 2 Non adhorret. — 5b, 2 subartatur.

207. De ss. Justo et Pastore.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Laudes Deo persolvamus<br>Dulci cum melodia,                              | 1b. Indefessi recolamus<br>Ejus beneficia.  |
| 2a. Intus mentem, corpus foris<br>Mundemus spurcitia,                         | 2b. Justi simul et Pastoris<br>Sunt haec natalitia.                                 |
| 3a. Quam praeclara fuit horum<br>Virtus et constantia,                        | 3b. Quos tyrannus tormentorum<br>Non vicit saevitia.                                |
| 4a. Deo placens exstitisti,<br>Tales viros quae tulisti<br>Hispana provincia; | 4b. Urbs Complutum felix horum<br>Fuit ortu puerorum<br>Nec non et infantia.        |
| 5a. Hi fuerunt enutriti<br>Et a doctis eruditi<br>Literarum studia;           | 5b. Hi cum magna curatura<br>Didicerunt Christi jura,<br>Dia pleni gratia.          |
| 6a. Ad hanc urbem vir insanus<br>Cum venisset Dacianus,<br>Percepta licentia  | 6b. Christianos persequendi,<br>Jussit sanctos comprehendi<br>Trahens ad supplicia. |
| 7a. Affliguntur pueri<br>Daciani miseri<br>Diris jussionibus,                 | 7b. Tormentorum genera<br>Membra terunt tenera<br>Data cruciatibus.                 |
| 8a. Pastorem dum patitur<br>Justus sic alloquitur<br>In cruciaminibus:        | 8b. Pastor, si permanseris,<br>Boni sociaberis<br>Pastoris ovilibus.                |

- |  |   |
|--|---|
| 9a. Cui Pastor continuo:<br>Juste, frater, annuo<br>His assertionibus;                 | 9b. Re justus et nomine,<br>Jam es in certamine<br>Dignus coeli civibus.          |
| 10a. Ex urbe pueri<br>Pelluntur regia<br>Tyranni miseri<br>Mandante furia.             | 10b. Capitis conteri<br>Jussit sententia,<br>Sic petunt teneri<br>Regna perennia. |
| 11a. Caeduntur gladiis<br>More bidentium   | 11b. Vexati furiis<br>Se persequentium.   |
| 12a. Quam miranda fuit<br>Horum germanitas,<br>Quam non exterruit<br>Poenarum feritas. | 12b. Non illis nocuit<br>Ulla protervitas,<br>Quos manu tenuit<br>Divina bonitas. |
| 13a. Urbs Narbona, gaude cum<br>filiis,<br>Lauda Deum pro beneficiis,                  | 13b. Qui te suis ditando copiis<br>Decoravit horum reliquiis.                     |
| 14a. Horum pete juvari precibus,<br>Quorum supplex adstas con-<br>spectibus.           | 14b. Ut jungaris sanctorum coe-<br>tibus<br>In supernis polorum sedibus.          |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parisiens. 778. Mit Mel.

208. De sancto Kanuto duce.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Pretiosa mors sanctorum<br>In conspectu Domini,<br>Quanta salus sit justorum,<br>Sancto patet homini. | 1b. Qui in tanto se aptavit<br>Christiano nomini,<br>Quod se totum complantavit<br>Veritatis lumini. |
| 2a. Invitatus in hac die<br>Ad regis convivium,<br>Universae carnis viae<br>Sanctus tangit bravium.       | 2b. Causa mortis definitae<br>Rei dat judicium,<br>Quod sit finis hujus vitae<br>Vitale initium.     |
| 3a. Pater regis et regis filius,<br>Dictus dux, sed rex dici melius<br>Vir justus potuit.                 | 3b. Se regebat rege nobilius,<br>Foedus pacis servans fidelius,<br>Ut res innotuit.                  |
| 4a. Hunc ad poenam innocentis<br>Vel ad pacem persequentis<br>Fideles ecclesiae                           | 4b. Non vox flectit suggerentis,<br>Nec jus movent justae mentis<br>Preces aut pecuniae.             |
| 5a. Salus erat suae gentis,<br>Virtus recte incedentis<br>Causa fit invidiae;                             | 5b. Zelus patet saevientis,<br>Contra ducem invidentis<br>Grassantur insidiae.                       |
| 6a. Erat sancto sanguine<br>Junctus Magnus nomine,<br>Nil in nequam homine<br>Profuit propinquitas.       | 6b. Ducem, decus Daciae,<br>Circumcinxit acie<br>Et sub pacis foedere<br>Prodiit iniquitas.          |

- |  |   |
|--|---|
| 7a. Auctor doli duci soli<br>Velle loqui simulat,<br>Sanctus credit et obedit,<br>Solut ei obviat.       | 7b. Dum tractatur et causatur<br>De regni regimine,<br>Vulneratur, morti datur<br>Martyr sine crimine.    |
| 8a. Est indutus dux Kanutus<br>Toga tincta sanguine,<br>Nuptialis vestis talis<br>Est coelestis gratiae. | 8b. Vita vilis et exilis<br>Transit per martyrium,<br>Qua est vita acquisita,<br>Quae non habet terminum. |
| 9a. Pretiosa mors Kanuti,<br>Surdi, caeci, claudi, muti<br>Sunt salvati, restituti<br>Ejus patrocinio.   | 9b. Hujus prece nos adjuti<br>De salute simus tuti,<br>Ne tradamur servituti,<br>Daemonis dominio.        |
| 10a. Martyr sancte, mortis tuae<br>Agentes memoriam,   | 10b. Nobis datus advocatus<br>Tecum duc ad gloriam  |
11. Sempiternam.

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 3a, 2 sed ergänzt. — 6a, 2 Cunctus. — 9b, 3 Ut tradamur.

### 209. De sancto Kanuto duce.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Diem festum<br>veneremur martyris<br>Ut nos ejus<br>adjuvemur meritis.        |   |
| 2a. Per prophetas in figura<br>Praedicata paritura<br>Plures parit sterilis,     | 2b. Parit parens in pressura,<br>Dolor partus prodit jura,<br>Dum applaudit filiis. |
| 3a. Filii fide renati<br>Ad certamen sunt parati<br>Fidei constantia,            | 3b. Supra petram solidati<br>Non sunt morte separati<br>A matre ecclesia.           |
| 4a. Inter istos constitutus<br>Christi miles dux Kanutus<br>Recepit stipendia,   | 4b. Regem regem prosecutus<br>Stola prima est indutus<br>Pro mortali tunica.        |
| 5a. Adhuc vivens perituram<br>Parvipendens permansuram<br>Vitam quaerit opere,   | 5b. Dat talentum ad usuram<br>Et frumentum per mensuram<br>Duplicat in tempore.     |
| 6a. Tuta fides in talento,<br>Designatur in frumento<br>Firma spes et caritas,   | 6b. Quarum crescit incremento<br>Vino fovens et unguento<br>Proximi miserias.       |
| 7a. Iste Dei cultor verus,<br>Cui favet plebs et clerus,<br>De quo gaudet Dacia, | 7b. Non superbus sed severus,<br>Pius, prudens et sincerus,<br>Plenus Dei gratia.   |
| 8a. Fide ficta suffocatus,<br>A cognatis morti datus<br>Complevit martyrium,     | 8b. Hac in die est translatus,<br>Cujus prece exoratus<br>Deus det auxilium.        |

- 9a. Ductor noster, dux Kanute,  
Nos transire cum virtute  
Fac per temporalia,
- 9b. Te ductore cum te duce  
Perfruamur vera luce  
In aeterna gloria

10. In Jerusalem superna.

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. A. — Darans in Langebeck, *Scriptores rerum Danicarum* IV, 269 sq. B. — 2b, 3 filius AB. — 5a, 6 per-  
mensuram AB. — B erwähnt noch den Anfang zweier weiteren Prosen: Eu  
Jerusalem superna und Adest nobis auf denselben Heiligen.

210. De sancto Kanuto rege.

- 1a. Verbum bonum personemus,  
Dulcem melum jubilemus,  
Voto, voce nos aptemus  
Ad promenda carmina.
- 1b. Ave, Martyr, flos Danorum,  
Gemma coeli, via morum,  
Sidus lucens, spes reorum,  
Aegris dans solatia.
- 2a. Te de mundo sequestratum  
Et cruore purpuratum  
Angelorum adunatum  
Credimus collegio.
- 2b. Haec res mira protestatur,  
Caecus visu decoratur  
Et infectus solidatur  
Leprae carens vitio.
- 3a. In hac valle peregrina  
Bella movent intestina  
Mens et caro, his propina  
Salutis remedia.
- 3b. Supplicantes servos vide,  
Malignorum vim allide,  
Roboratos nos in fide  
Duc ad vera gaudia.

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum.

211. De sancto Kanuto rege.

- 1a. Pangat gaudens  
et concrepet  
ecclesia
- 1b. Summi regis  
pia narrans  
magnalia.
- 2a. Qui suis aeterna  
dat dilectis gaudia
- 2b. Et rependit digna  
pro meritis praemia.
- 3a. Hujus insignis  
rex Kanutus  
confortatus gratia
- 3b. Atque invictae  
communitus  
fidei constantia,
- 4a. Plebis non effugit  
saevientis milia,
- 4b. Sed pro Christo tulit  
patienter omnia,
- 5a. Ut in regis sempiterni  
ditaretur curia
- 5b. Et perenni cum supernis  
frueretur gloria.
- 6a. Fremit ergo in pudicum  
principem  
populi vesania,
- 6b. Feritate tendens dira  
agmina  
fundere regalia,
- 7a. Indomitos quia stricta  
edomabat justitia;
- 7b. Nam regalis decet honor,  
ut diligit judicia.
- 8a. Pedibus proturbat  
turmula  
ducem pium impia
- 8b. Satagens potiri  
profana  
de duce victoria.

- |  |   |
|--|---|
| 9a. Sed magistri principis veri<br>exsequens vestigia              | 9b. Inter placida pacem suis<br>commendat convivia                |
| 10a. Traditore cum infido<br>fida commiscens colloquia             | 10b. Et indigno pretiosa<br>condonans pariter munera              |
| 11a. Et conviva mox iniqua<br>rependit consilia                    | 11b. Et in regem plebis corda<br>excitat ferocia.                 |
| 12a. Sed insignis agonista<br>ad divina<br>se confert praesidia,   | 12b. Ubi sacra Jesu laudat<br>et precatur<br>percipiens mysteria. |
| 13a. Instat hostis. ut exurat<br>ignibus sacraria,                 | 13b. Sed athletae sancti faces<br>extingunt precamina.            |
| 14a. Saxa volant<br>dira et cruenta<br>per aperta spicula,         | 14b. Innocentis<br>et cruore sancta<br>resperguntur atria.        |
| 15a. Inter crebra Christi testis<br>rixus perstans vulnera         | 15b. Ante divam ruit aram<br>sauciat lancea.                      |
| 16a. Spiritum ad mansura<br>emittens tripudia,                     | 16b. Quo in sede jam felix<br>triumphat florigera                 |
| 17a. Et laetatur inter candida<br>Martyrum collegia                | 17b. Lauream ditatus clari<br>triumphi purpurea.                  |
| 18a. Sancte martyr, alme, clemens,<br>exaudi,<br>Kanute, precamina | 18b. Et noxarum dira tuis<br>dissolve<br>suffragiis vincula.      |

19. Ut in laudem redemptoris  
laeti jubilemus  
Alleluja.

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 6a, 1 Tremet ergo impudicum. — 9b, 1 sui. — 15a, 2 praestans. — 17b, 1 Lancea ditatus. — 18b, 1 Et nexorum.

## 212. De sancta Katharina.

1. Hac in die celebri  
Christo, regi gloriae,  
Sonet vox ecclesiae.
- |  |  |
|--|--|
| 2a. Katharinae laudibus<br>Nostrae votis paribus<br>Concrepent melodiae,                           | 2b. Junctam coeli civibus<br>Votis atque vocibus<br>Collaudemus hodie.                       |
| 3a. Exclamemus itaque<br>Et accurrant undique<br>Omnes Sion filiae,                                | 3b. Sit in Christi nomine,<br>Quod pro tanta virgine<br>Vox sonat laetitiae.                 |
| 4a. Haec in annis teneris<br>Forma facta ceteris,<br>Clarior ut natalibus<br>Sic effulsit moribus. | 4b. Mente juncta superis<br>Sui decus generis<br>Dignis et felicibus<br>Condecorans actibus. |

- |  |  |
|--|--|
| <p>5a. Haec tam digne<br/>Quam benigne<br/>Christo gratum<br/>Famulatum<br/>Impendit per omnia ;</p> <p>6a. Christi legem, quam profatur,<br/>Nihil minus attestatur<br/>Operum per merita ;</p> <p>7a. Ferro caesa novo more<br/>Lac effudit pro cruore,<br/>Quod in ejus praeconia<br/>Superna fecit gratia.</p> <p>8a. O beata Katharina,<br/>O praeclara laude digna,<br/>Quae meremur,<br/>Ne damnemur<br/>Repelle supplicia.</p> | <p>5b. Hunc adorat<br/>Et exorat,<br/>Ipsi soli<br/>Digno coli<br/>Digna dat obsequia.</p> <p>6b. Hinc in eam excitatur<br/>Imperator et damnatur<br/>Potestati subdita.</p> <p>7b. Fecit et hanc inter chorum<br/>Deportari angelorum<br/>Ad Sinai fastigia,<br/>O res digna memoria.</p> <p>8b. Fonti summae pietatis,<br/>Qui nos lavet a peccatis,<br/>Nos benigna<br/>Prece digna<br/>Clementer concilia.</p> |
|--|--|
9. Quae timemus  
Et horremus,  
Excusa flagitia,  
Amen dicant omnia.

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBL.  
Fol. 12. — Mel. wohl: Mane prima sabbati.

### 213. De sancta Katharina.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Odas hac in die laetas<br/>Christo canat omnis aetas<br/>Corde, voce, fidibus ;</p> <p>2a. Haec est illa Costi nata,<br/>Cujus ortu decorata<br/>Gloriatur Graecia,</p> <p>3a. Scholis vacans, artes discens,<br/>Altiora concupiscens<br/>Studet evangelio.</p> <p>4a. Cibo dulci refovetur,<br/>Quo plus gustat, plus augetur<br/>Sanctum desiderium ;</p> <p>5a. Rex hinc terret, hinc blanditur,<br/>Haec nec timet nec lenitur<br/>Pro mentis constantia ;</p> <p>6a. Sapientes superantur,<br/>Credunt Christo flammis dantur<br/>Sed non perit fimbria ;</p> | <p>1b. Omnem spectat ad aetatem<br/>Katharinae dignitatem<br/>Cumulare laudibus.</p> <p>2b. Haec est, quaemnam sibi datam<br/>Christo reddit duplicatam<br/>Oris eloquentia.</p> <p>3b. Duo legens testamenta,<br/>Vitae videt alimenta,<br/>Christum in praesepio.</p> <p>4b. Cibo confortatur isti,<br/>Se configens cruci Christi<br/>Currit ad martyrium.</p> <p>5b. Hinc terrores ut favillae,<br/>Hinc res, servi vel ancillae<br/>Spernantur ut vilia.</p> <p>6b. Carceratur virgo caesa,<br/>Visitatur, fit illaesa<br/>Superum praesentia.</p> |
|--|---|

- 7a. Quam regina dum solatur,  
Ad certamen invitatur,  
Favet ovans, coronatur,  
Certat die tertia.
- 8a. Tot triumphans in tormentis  
Ad superna cum ducentis  
Praemittit Porphyrium;
- 9a. Corpus coelitus sublatum  
Est in Sina tumulatum,  
Tumba manat oleum.
- 10a. Virgo, sidus honestatis,  
Dux et decus probitatis,  
Christi reos majestatis  
Christo reconcilia.
- 7b. A columba dum cibatur  
Virgo, rota fabricatur,  
Orat, nexus dissipatur,  
Sternitur plebs impia.
- 8b. Impetrato, quidquid orat,  
Ferit lictor, lac irrorat  
Ferientis gladium.
- 9b. Sina signis illustratur,  
Coelum sibi gloriatur  
Addi sidus aureum.
- 10b. Vas virtutum, via morum,  
Flos odoris, odor florum,  
Nos tuere, nos coelorum  
Transfer ad palatia.

Miss. ms. Sarisberienae saec. 15. Cod. bibl. Rossianae s. sign. A. — Miss. ms. Oxoniense anni 1384. Clm. Monacens. 705. B. — Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. C. — 2a, 2 decoratur B. — 3a, 1 vacat B. — 3b, 2 vitae fehlt B. — 5a, 1 terreat A; Exhinc terret C. — 5a, 3 Prae mentis C. — 6b, 2 Visitatur, non est C. — 7a, 2 imitatur C. — 7b, 2 tota B.

#### 214. De sancta Katharina.

- 1a. Rex, qui regnas sine fine,  
Da digne nos Katharinae  
Colere solemniam.
- 2a. Philosophos et peritos  
A Maxentio adscitos,  
Ut contra hanc disputarent,
- 3a. Qui ad fidem Jesum Christi  
Conversi sunt omnes isti  
Spretis suis artibus,
- 4a. Et carceri mancipatur  
Virgo sancta, quam solatur  
Regina cum Porphyrio;
- 5a. Quo tyranno revelato,  
Dolore sic duplicato  
Repletus insanie
- 6a. Mox rotam jubet parari  
Et circumquaque armari  
Praeacutis gladiis,
- 7a. Demum virgo decollatur  
Et lictoris irroratur  
Gladius lacte, sanguine;
- 8a. Ex ejus mausoleo  
Effluente oleo  
Cum minutis ossibus
- 1b. Haec regis Costi filia,  
Praepollens philosophia  
Et coelesti gratia,
- 2b. Suis vicit argumentis,  
Probens, quod insane mentis  
Exsistentes oberrarent.
- 3b. Quo Maxentius audito  
Eos jubet tradi cito  
Praeparatis ignibus.
- 4b. Quos monitis salutaribus  
Convertit ab erroribus  
Et daemonum servitio.
- 5b. Porphyrium decollari  
Et reginae amputari  
Mammis jubet impie.
- 6b. Super quam dum elevatur  
Virgo, rota dissipatur  
Divinis incendiis.
- 7b. Cujus corpus deportatum  
Ab angelis est humatum  
In Sinai culmine.
- 8b. Linitus efficitur  
Sanus et regreditur  
Sospes ejus precibus.



- |   |   |
|---|---|
| <p>9a. Ergo virgo Katharina,<br/>Fac, ut nos virtus divina<br/>Praesentes custodiat</p> | <p>9b. Ab omni nota noxia<br/>Et in fine coelestia<br/>Adipisci faciat.</p> |
|---|---|

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 109s.

215. De sancta Katharina.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Hac clara die turma<br/>festiva da<br/>praeconia</p>                   | <p>1b. Virginem concrepando<br/>Katharinam<br/>symphonia.</p>               |
| <p>2a. Quae fuit regis<br/>Costi clara<br/>stirpe nata<br/>in Alexandria.</p> | <p>2b. Erudienda<br/>doctoribus<br/>est oblata<br/>reginae filia.</p>       |
| <p>3a. Audiens rex, quod sit plena<br/>virgo fide catholica,</p>              | <p>3b. Illi jussit, ut mandata<br/>cito relinquat coelica.</p>              |
| <p>4a. Sed regis despexit<br/>mandata, intrat<br/>virgo benedicta</p>         | <p>4b. Monens hunc, ut spernat<br/>idola vana<br/>nimis atque ficta.</p>    |
| <p>5a. Tunc rex magistrorum<br/>convocat agmina,</p>                          | <p>5b. Ut haec sit illorum<br/>confusa doctrina.</p>                        |
| <p>6a. Sed hi confunduntur<br/>per regis filiam</p>                           | <p>6b. Atque convertuntur<br/>ad Christi gratiam.</p>                       |
| <p>7a. Rotis fractis caput<br/>amputatur virginis,</p>                        | <p>7b. Lac ex ejus carne<br/>fluxit loco sanguinis.</p>                     |
| <p>8a. Cujus corpus per angelos<br/>in Sinai<br/>montem est deportatum</p>    | <p>8b. Et per ipsos est in tumba<br/>marmorea<br/>gaudenter collocatum.</p> |

9. Ex ipsa  
aegros oleum  
sanans manat.

Miss. ms. Tullense saec. 14. Cod. Parisiens. 11592. — Die Sequenz ist auf das Metrum der marianischen gleichen Anfangs gebaut, mit nur zwei verschwindenden Abweichungen. Vgl. *Analecta hymnica* VII S. 115.

216. De sancta Katharina.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Adest dies triumphalis,<br/>In qua sponsus immortalis<br/>Sponsae reddit praemia,</p> | <p>1b. Prosequamur ergo digne<br/>Decertantis Katharinae<br/>Triumphos et proelia.</p> |
| <p>2a. Alta virgo stirpe sata,<br/>Christo fide consecrata,<br/>Jussa sprevit regia;</p>     | <p>2b. Judex motus laniari<br/>Sanctam jubet et aretari<br/>Gravi sub custodia.</p>    |
| <p>3a. Victus ei denegatur,<br/>Sed de coelo ministratur<br/>Jugis alimonia,</p>             | <p>3b. Per columbam sustentatur.<br/>Angelorum animatur<br/>Ad pugnam frequentia.</p>  |

- |  |   |
|--|---|
| <p>4a. Convocatos oratores<br/>Sua Christi confessores<br/>Fecit sapientia,</p> <p>5a. Scorpione laceratur,<br/>Prece rota dissipatur<br/>Et poenalis machina,</p> <p>6a. Tandem rege triumphato<br/>Et agone consummato<br/>Ferro subit aethera,</p> <p>7a. Sacrum tumba fert liquorem,<br/>Salutarem stillat rorem<br/>Et minuta ossula,</p> | <p>4b. Virgo poenis non terretur,<br/>Stat virago, non movetur<br/>Promissorum gratia.</p> <p>5b. Triumphante Katharina<br/>Sua multi cum regina<br/>Respuerunt numina.</p> <p>6b. Pro cruore lac manavit,<br/>Sina corpus collocavit<br/>Angelorum dextera.</p> <p>7b. Aegris confert sanitatem,<br/>Virgo nobis sanctitatem<br/>Impetret per saecula.</p> |
|--|---|

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16 A. — Miss. FF. Praedicatt. imp. Venetiis. 1600. B. — Miss. ms. S. Stephani Divionens. saec. 15. Cod. Parisiens. 879. C.

217. De sancto Lamberto.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Pange, Sion, redemptori<br/>Sub alterni forma chori<br/>Gratiarum opera,</p> <p>2a. Vocis a tripudio<br/>Non discordet actio<br/>Vitam gerens stabilem,</p> <p>3a. Celebremus hodiernam<br/>Diem, scandit ad supernam<br/>Qua Lambertus patriam,</p> <p>4a. Qui clarus genere,<br/>Annis dum tenerae<br/>Viget infantiae,</p> <p>5a. Hinc se jugo divinitus<br/>Ardenscens Christi subjicit,<br/>Et in sacra radicatus<br/>Doctrina quia proficit,</p> <p>6a. Quo throni praesidio<br/>Sanctum Dei praesulem<br/>Hostium detractio<br/>Fugans facit exsulem.</p> <p>7a. Riga monastici subitur ordinis,<br/>In quo multiplici jam septem<br/>terminis<br/>Virtute micuit.</p> <p>8a. Per quem fides dum increscit<br/>Et maligna vis algescit,<br/>Nefas ingens contra legem<br/>Per Francorum actum regem<br/>Molitur exstinguere</p> | <p>1b. Dulcor piae symphoniae<br/>Melodorum organorum<br/>Grata solvat pignora.</p> <p>2b. Oris enim aemula<br/>Purae mentis formula<br/>Sonum pingit habilem.</p> <p>3b. Dum cruoris fuso rore,<br/>Dirae carnis de tortore<br/>Nactus est victoriam.</p> <p>4b. Literis traditur,<br/>Rivis imbuitur<br/>Mirae scientiae.</p> <p>5b. Hunc orbatam pontifice<br/>Sedem ad Trajectensium<br/>Tanto functurum apice<br/>Cleri trahit suspirium.</p> <p>6b. Flagrum ergo coelitus<br/>Datum gerit patiens<br/>Et sordentes ambitus<br/>Vitat orbem odiens.</p> <p>7b. Nec ultra tenditur spei dilatio,<br/>Priori redditur hic pontificio,<br/>Quod alter tenuit.</p> <p>8b. Hortans ipsum, ut a tali<br/>Thoro cedens illegali<br/>Caelebs sua cum uxore<br/>Vivat, ne sit in rubore<br/>Cohaerens atultrae.</p> |
|---|---|

- |  |   |
|--|---|
| 9a. Rem novit Alpaidis<br>Et Dodonem perfidis<br>Usa verbis inficit;                                       | 9b. Qui frendenti jaculo<br>Sanctum in oraculo<br>Fossum caput trajicit.                                      |
| 10a. Sic felici martyrio<br>Mundi revincens aspera<br>Martyr vectus cum gaudio<br>Sacri coetus ad aethera. | 10b. Binis sertis coronatur,<br>Quia carne triumphatur<br>Et talentum contraditum<br>Fit cum lucro repositum. |
| 11a. Cujus nos patrocinio<br>Mentis piato vitio<br>Sanctorum contubernio<br>Sacra consignet unio.          | 11b. Mortis ut post naufragia<br>Polorum ad palatia<br>Ducti diva praesentia<br>Fungamur duce gratia.         |

Grad. Monasteriens. imp. s. l. et a.

218. De sancto Lazaro.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Summo cantu, digna laude,<br>Bethania mater, gaude<br>Lazari solemnio,                            | 1b. Gaude, mater, et laetare<br>Filiisque fac cantare<br>Una cum tripudio.                        |
| 2a. Sit vox laeta, cor mundatum,<br>Sic est namque Deo gratum,<br>Ut concordet voci vita.             | 2b. Modulizent quoque nati,<br>Qui futuri sunt beati<br>Martyris per suffragia.                   |
| 3a. Cujus insistentes laudi,<br>Christe bone, nos exaudi,<br>Ut post vitae spatium                    | 3b. Per hunc, cui famulamur,<br>Adipisci mereamur<br>Immortale bravium.                           |
| 4a. Cujus laudes depromere<br>Nisi divino munere<br>Praemunito nulli datur,                           | 4b. Qui meruit resurgere<br>Quatriduano funere<br>Sicut scriptura testatur.                       |
| 5a. O inaudita pietas,<br>Per quam divina bonitas<br>Lacrimata  | 5b. Sese fontem pietatis<br>Et totius bonitatis<br>Est testata.                                   |
| 6a. Suscitatur Lazarus tumulo,<br>Vinctus manus et pedes vinculo,<br>Adepturus dignius prae-<br>mium. | 6b. Gratulantur plures e populo<br>Proclamantes viso miraculo,<br>Redemptorem venisse<br>gentium. |
| 7a. Admirantes hinc Judaei<br>Timent, tremunt pharisaei,<br>Statuunt consilia,                        | 7b. Ut occidant innocentem,<br>Ne seducat totam gentem<br>Mundi per confinia.                     |
| 8a. Discedit Lazarus,<br>deserit patriam,<br>Mare transit<br>timent saevitiam<br>Judaeorum.           | 8b. Devenit ocius<br>in Cypros insulam,<br>Adepturus<br>praesulis infulam,<br>Flos sanctorum.     |
| 9a. Praesulatu sublimatus<br>Mundo vixit, Deo gratus,<br>Tandem per martyrium                         | 9b. Est a Deo coronatus<br>Et in coelo collocatus<br>Ordine coelestium.                           |

- 10a. Summe martyr, hospes Christi,      10b. Hospitari mereamur  
 Quem totiens suscepisti                  Prece tua, te precamur,  
 Hospitem hospitio,                          In coelorum solio.
- Sequentiar. ms. saec. 14/15. Cod. Parisiens. 17 309. Mit Mel.

219. De sancto Leonhardo.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Salve, mitis et benigne<br>Leonharde, Deo digne,<br>Tuis sacris actibus         | 1b. Meruisti hic in terris,<br>Ut cohaeres sis in coelis<br>Cum coelicis civibus.     |
| 2a. Normam regularis vitae<br>Dilexisti, post hanc rite<br>Diligenter vixeras,      | 2b. Semper tibi Dei cultus<br>In amore fuit multus,<br>Cui benedixeras.               |
| 3a. Quare benedictionem<br>Suam et dilectionem<br>Tibi dedit pariter.               | 3b. Ut tu pius intercessor,<br>Medicus nec non defensor<br>Sis cunctis perenniter.    |
| 4a. Caeci, muti, surdi, fessi,<br>Ad te clamant et perpessi<br>Multiplices labores. | 4b. Leonarde, sancte here,<br>Per te medelantur vere<br>Acri pellis horrores.         |
| 5a. Vincetos atque captivatos,<br>Compeditos, catenatos<br>Invocatus liberas,       | 5b. Ventos sedas et procellas,<br>Hastas, equos, frena, sellas<br>Bellatorum roboras. |
| 6a. Sed quid dicam, nemo valet<br>Tua mira, quamvis mallet,<br>Omnia describere;    | 6b. Non est rhetor nec orator<br>Tam facundus propalator<br>Ea potens promere.        |
| 7a. Ergo velle tu pro facto<br>Sume, pater, et peracto<br>Hujus vitae spatio        | 7b. Fac, ut tibi servientes<br>Semper tecum sint gaudentes<br>In coeli palatio.       |
| 8a. Hicque vincant nocitura<br>Paupertatis et a cura<br>Omni fiant liberi;          | 8b. Eja, abbas reverende,<br>Nostras preces nunc attende,<br>Ut reddamur aetheri.     |

Miss. ms. Cremifanense 41. saec. 15. A. — Miss. Mellicense 983. saec. 15. B. — Miss. ms. Salisburgense anni 1476. Cod. bibl. publ. V 1 A 12. C. — Sequent. ms. S. Petri Salisburgens. saec. 16. Append. post Miss. Roman. imp. Venetiis. 1513. D. — Miss. ms. Lincense *Fg* 10. saec. 15. E. — Miss. ms. Graecense 74. saec. 15. F. — Miss. ms. Raitenpuchense saec. 15. Cln. Monacens. 12203. G. — Miss. Pataviense imp. 1503. H. — 1b, 1 Seruisti hic B. — 2a, 1 formam AB. — 4a, 3 Labores multiplices A. — 4b, 3 pellens A. — 6a, 1 quid dicas A. — 8a, 1 Sicque vivant (l. vincant) A; Hicque vincit H. — 8b, 1 venerande A; — Eja praesul CFG, welche drei Handschriften die Sequenz auf S. Wolfgang übertragen.

220. De sancto Leonhardo.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Exsultet vox sonora,                       | 1b. Gaudeat mens devota.                              |
| 2a. Exsultantes jubilemus<br>Leonhardi merita, | 2b. Qui mundana sprevit prorsus<br>ambiens coelestia. |

- |   |  |
|---|--|
| 3a. Malens Christo famulari<br>pauper in ecclesia,    | 3b. Quam in hujus mundi regum<br>dives esse curia.         |
| 4a. Ergo linquens Galliam                             | 4b. Intrans Aquitaniam                                     |
| 5a. Consolatur regem flentem<br>virtute divina,       | 5b. Reddens sibi natam prolem<br>cum sana regina.          |
| 6a. At Leonhardo<br>contulit almo<br>Divina gratia,   | 6b. Solvere captos<br>diraque ferri<br>Frangere vincula.   |
| 7a. Hic Mariae, summi regis<br>matris, ad memoriam    | 7b. Suis digne stabilivit<br>manibus basilicam.            |
| 8a. Per occultae terrae venas<br>undam de vizenna     | 8b. In puteum consurgere<br>fecit prece digna.             |
| 9a. Leonhardus, quoad vixit,<br>tonantis mandata      | 9b. Custodivit atque fulsit<br>signis et doctrina.         |
| 10a. O beate Leonharde,<br>magna sunt tua merita      | 10b. Tu captivos fac solutos.<br>qui te vocant mente tota. |
| 11a. Fuga morbos, pelle famem<br>de Christi ecclesia, | 11b. Hostes tere, pacem prece<br>tribue continua           |
| 12. Et fac nos tecum gaudere<br>In coelesti curia.    |  |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 13. Cod. Parisiens. 1086.

## 221. De sancto Leonhardo.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Anni nobis circulus<br>Renovat solemnna  | 1b. In beati Leonhardi<br>Celebri memoria.                                       |
| 2a. Cujus actus inclitos<br>Celebrat ecclesia,                                     | 2b. Quo laetatur socio<br>Supernorum curia.                                      |
| 3a. Bonae puer indolis<br>Dum praeclarae sobolis<br>Eniteret gloria,               | 3b. Paupertatem eligit,<br>Mundi fastus negligit.<br>Regnum et palatia.          |
| 4a. In silvarum latebris<br>Eremita celebris<br>Dum latere voluit,                 | 4b. Signorum potentia<br>Et doctrinae pluvia<br>Velut lampas claruit.            |
| 5a. Hic reginam aegrotantem<br>Et in partu laborantem<br>Sola prece liberat,       | 5b. Rupem siccam rigat undis<br>Fratribusque sitibundis<br>Fontis venas reserat. |
| 6a. Captivis suffragium,<br>Miseris praesidium,<br>Agonista Domini,                | 6b. Dum carnem attenuat,<br>Orando continuat<br>Saepe noctem lumini.             |
| 7a. Quam sit vana spes mortalis,<br>Quam beata spiritalis,<br>In hoc vita claruit, | 7b. Qui, dum spernit lubrica,<br>Est adeptus coelica,<br>Quibus semper studuit.  |

8a. O decus Franciae,  
Lux Aquitaniae,  
Gemma ecclesiae,  
Nos exaudi.

8b. Mundemur maculis,  
Qui vocum modulis  
Damus praeconia  
Tuae laudi.

9. Sociemur tibi in patria,  
In qua suis est Deus  
omnibus omnia.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 13. Cod. Parisiens. 1086.

222. De sancto Leopoldo.

1a. Regem regum veneremur,  
Scriptum cujus habet femur:  
Dominus dominantium,

1b. Rumpens hostis potestatem,  
Quam tenebat usurpatam  
Contra coetum peccantium,

2a. Irritantis, quantum potest,  
Ad peccandum, sed id prodest,  
Firmiter resistentibus.

2b. Redit saepe variatus  
Et recedit confutatus  
A vere poenitentibus.

3a. Curam gerit infirmorum  
Versus hostem rex coelorum,  
Ne venena peccatorum  
Infundat ad lubitum.

3b. Petenti mox dat vigorem  
Caritatis stillans rorem,  
Qui virtutis per odorem  
Virus vincit bibitum.

4a. Rapax lupo dum conatur  
Ovem jugulare, datur  
Fides recta, qua fugatur  
Duri cordis caecitas.

4b. Bibit Jesus de torrente  
Passionis peringente,  
Qua spem firmam sumit mente  
Timida mortalitas.

5a. Liber hostis pravitate  
Leopoldus marchio  
Fide, spe cum caritate  
Resistebat impio.

5b. Umbram fugit mundanorum  
Carnem servans domitam,  
Christi currens mandatorum  
Diligenter semitam.

6a. Sumpsit felix et in terra  
Prolem venustissimam,  
Pace fruens sine guerra  
Formam gessit optimam.

6b. Major natu nec in tantis  
Tumescebat prosperis,  
Nec fortis instar gigantis  
Frangebatur asperis

7a. Festinabat ad superna  
Multis stipatus meritis,  
Nec affectus creaturae  
Baronem impediverat.

7b. Libens liquit Christi verna  
Cum pompis mundum solitis,  
Cum jam mentis visu purae  
Trinum et unum viderat.

8a. Cibum coeli manducantes  
Plebem secutus credulam  
Eriguntur curvi, vadunt,  
Membra pridem immitia.

8b. Tasmiam inhabitantes,  
Distantem maris insulam,  
Leopoldi vix evadunt  
Miranda beneficia.

9a. Est id verum nec occultum,  
Bonos praemiari multum,  
Ire malum nec inultum  
Propter stultum mundi cultum.

9b. Ob tanti precatum viri  
Humiles cernuntur miri,  
Superbi manent deliri,  
Quis verum nequit audiri.

- |  |   |
|--|---|
| <p>10a. Licet justi nunc quassentur<br/>Et iniqui prosperentur,<br/>Justis salvis hi plectentur,<br/>Coram cunctis confundentur.</p> | <p>10b. Vivet insons apud Deum,<br/>Quia credidit in eum,<br/>Mala cum vexabunt reum<br/>Vitae perdentem trophaeum.</p> |
|--|---|

11. O Maria, mater pia,  
Nobis via sis, o dia,  
Coeli ad palatia  
Leopoldi gratia.

Miss. ms. Mellicense 979. saec. 15. A. — Miss. ms. S. Floriani III 9 saec. 15. B. — Miss. Pataviense imp. 1503. C. — 3a, 4 libitum AB. — 9a, 4 pridem inimicitia ABC. — 11b, 3 Vitae prodentem C.

223. In translatione s. Lucii.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Hodiernae lux diei<br/>Jam erumpit, currant rei<br/>Lucis sub praesidio,</p>           | <p>1b. Dux coelorum se confundi,<br/>Se fatetur sol obtundi<br/>Lucis hujus radio.</p>      |
| <p>2a. Hanc te lucem, pater Luci,<br/>Te videntes huc abduci,<br/>Sensimus Selandici.</p>     | <p>2b. Roma mater te lactavit,<br/>Imbuens inthronizavit<br/>Summo tradens apici.</p>       |
| <p>3a. Mox in arcum versa pravum<br/>Fel comportat, ubi favum<br/>Alumno miscuerat.</p>       | <p>3b. In metallum deportatur.<br/>Sed post paulum revocatur<br/>Fortior quam cesserat.</p> |
| <p>4a. Splendor uti lippum gravat,<br/>Depravatos plus impravat<br/>Praesulis constantia;</p> | <p>4b. Ergo caput det oportet,<br/>Dat et gaudens, ut reportet<br/>Exoptata praemia.</p>    |
| <p>5a. Pudor caput hoc Romanis,<br/>Beltae quies, honor Danis,<br/>Huc hac die ducitur;</p>   | <p>5b. Felix dies tanti doni,<br/>In qua patris et patroni<br/>Translatio colitur.</p>      |
| <p>6a. Gaudet laeta Portuensis<br/>Hujus civitas immensis<br/>Tuta sub praesidiis,</p>        | <p>6b. Stat confisa solo dente,<br/>Se de peste protegente<br/>Telis et insidiis.</p>       |

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 1b, 1 Duc coelorum. — 2a, 2 hunc abduci; besser, nicht notwendig wäre adduci. — 1a, 3 Syaleudici; ob obige Konjektur: Syaleudici verdruckt statt Själlandici = Selandici das Richtige trifft, mögen Kundigere entscheiden. — 2b, 2 inthronizat. — 6a, 1 Portuensis Latinisierung von Hafniensis. — Die Mel. der Sequenz bezeichnet 1a, 1.

224. In translatione s. Ludovici.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Gaudiose Francia<br/>Diem hanc expendas,</p>        | <p>1b. Ad laudum praeconia<br/>Te totam extendas.</p>   |
| <p>2a. Collauda cunctis sacculis<br/>Regem dominantem,</p> | <p>2b. De Ludovici titulis<br/>Francos jucundantem.</p> |

- |   |   |
|---|---|
| 3a. Te prudenter<br>mater edocuit,<br>Ludovice,<br>tibi que praebuit<br>Morum instructorem.                                 | 3b. Qui te Dei<br>per tibi tradita<br>Diligenter<br>divina monita<br>Fecit amatorem.                                    |
| 4a. Tu summo studio<br>Peccatum odio<br>Semper habuisti;  | 4b. Tu te virtutibus<br>Perficiantibus<br>Mente imbuisti.   |
| 5a. Tu pro fide Christi<br>Regnum reliquisti,<br>Bis transisti mare.  | 5b. Ibi te crudeles<br>Christo non fideles<br>Tractarunt amare.   |
| 6a. Tibi capto perditus<br>Liber praeda coelitus<br>Cito restauratur;   | 6b. Per te propter titulum<br>Perfidiae cingulum<br>Militiae negatur.   |
| 7a. Tu quaerebas<br>Pacem popularem,<br>Tu fovebas<br>Gentem regularem,<br>Tu spernebas<br>Pompam saecularem<br>Mundanorum. | 7b. Te divitiae<br>Non attraxerunt,<br>Te deliciae<br>Non allexerunt,<br>Te malitiae<br>Non inflexerunt<br>Perversorum. |
| 8a. Per te plura<br>Grandi cura<br>Monasteria<br>Sunt aedificata,   | 8b. Per quae cultus<br>Deo multus<br>Fit in Francia<br>Per te decorata.   |
| 9a. Ob haec et alia<br>Deo placentia<br>Nunc coeli gloria<br>Coronaris.   | 9b. Quo tua gratia<br>Nobis suffragia<br>Salutis propria<br>Largiaris.  |

Miss. ms. S. Ludovici Pisciacensis saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 608  
mit Mel.

### 225. De sancta Margareta.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Dulce melos Margaritae<br>Chorus iste psallat rite,<br>Cujus verae tibi vitae<br>Redolent insignia.  | 1b. Stirpe decens, fide clara,<br>Virgo fuit Deo cara<br>Et in fine placens ara,<br>Gaudeat ecclesia.  |
| 2a. Haec contempsit Olybrium,<br>Equulei suspendium<br>Et carceris supplicium<br>Christi cincta cingulo. | 2b. Haec draconem superavit,<br>Devorantem perforavit,<br>Beelzebub conculcavit<br>Freta regis annulo. |



- |   |  |
|---|--|
| <p>3a. Haec perculsa coeli rore<br/>Impetravit a lictore<br/>Per spatium tantum horae<br/>Christo preces fundere.</p> | <p>3b. Ergo, Christe, sua prece<br/>Nos peccati munda faece,<br/>Ut sic tecum spreta nece<br/>Valeamus vivere.</p> |
|---|--|

Missale Cluniacense imp. Parisiis 1550. Appendix pro prioratu S. Martini de Campis. — Mel. offenbar: Verbum bonum.

226. De sancta Margareta.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Virgo vernans velut rosa.<br/>Specialis, speciosa,<br/>Margarita pretiosa<br/>Margareta floruit.</p>           | <p>1b. Ex gentili stirpe nata.<br/>Genitrice mox orbata.<br/>Sub nutrice conservata<br/>Fidem veram coluit.</p>                 |
| <p>2a. Cujus oves dum nutritiv,<br/>Nutrientem concupivit,<br/>Cujus forma insanivit,<br/>Fervidus Olybrius.</p>      | <p>2b. Sprevit opes blandientis,<br/>Sprevit minas saevientis,<br/>Nec his cessit nec tormentis,<br/>Dum torquetur gravius.</p> |
| <p>3a. Nulla poena superatur,<br/>Sed in poenis gloriatur<br/>Et post poenas decollatur<br/>Et migrat ad gloriam.</p> | <p>3b. A peccatis et a poena<br/>Nos absolve, Deo plena,<br/>Ut, qua fulget lux serena,<br/>Ducamur ad patriam.</p>             |

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum.

227. De sancta Margareta.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Psallat chorus puellaris,<br/>Quia dies est natalis<br/>Margarethae virginis,</p>                               | <p>1b. In odore unguentorum<br/>Ejus canat ante thorum<br/>Dulce melos carminis.</p>  |
| <p>2a. Haec de gentilibus<br/>Processit natalibus<br/>Velut rosa speciosa,<br/>Quae de spina nascitur.</p>             | <p>2b. Cujus ad honorem<br/>Suum signat decorem<br/>Lux jocosa, pretiosa<br/>Stella, quae progreditur.</p>                  |
| <p>3a. Quam cernens Olybrius<br/>Amore mox ebrius<br/>Deos jubet colere<br/>Christumque relinquere.</p>                | <p>3b. Illa coepit spernere<br/>Praefectum et dicere,<br/>Deos nolo colere<br/>Nec Christum relinquere.</p>                 |
| <p>4a. His praefectus provocatus<br/>Et furore inflammatus<br/>Praecepit tenellae<br/>Corpus torqueri puellae.</p>     | <p>4b. Sed nec in tanto dolore<br/>Christi valet ab amore<br/>Virgo separari,<br/>Sibi prompta immolari.</p>                |
| <p>5a. Tunc jubetur ustulari,<br/>Lampadibus accremari,<br/>Demum carcer praeparatur,<br/>In quo virgo reservatur.</p> | <p>5b. In quo draco terrificus,<br/>Varius et flammificus,<br/>Hanc in ventrem deglutivit<br/>Sed cruce vincens exivit.</p> |

- |  |   |
|--|---|
| <p>6a. Plenum aqua vas portatur,<br/>In quo virgo colligatur,<br/>Quae a Christo visitatur<br/>Et a poena relaxatur</p> <p>7a. Dehinc virgo generosa<br/>Gladio necatur,<br/>Ab angelis gloriosa<br/>Jam sede locatur.</p> | <p>6b. Haec videntes multi credunt<br/>Et ad fidem Christi cedunt,<br/>Truces tortores accedunt,<br/>Ense saevo cunctos caedunt.</p> <p>7b. Ergo cum laetitia<br/>Colentes praesentia<br/>Margarethae solemnia<br/>Decantemus Alleluja.</p> |
|--|---|

Miss. ms. Plagense s. sign. saec. 15. A. — Miss. ms. Pragense XIV C. 3.  
saec. 15. B. — Str. 3b fehlt A. — Str. 5a ff. fehlen B.

### 228. De s. Maria Aegyptiaca.

#### 1. Laus Deo patri ejusque nato pariterque pneumati beato.

- |   |   |
|---|---|
| <p>2a. Laus ejus unica<br/>unaque est actio</p> <p>3a. Mundi redemptor, te nostra<br/>personent organa,</p> <p>4a. Cujus benignitas<br/>Jerichonteam civem jam<br/>fecit alienigenam,</p> <p>5a. Haec primo saeculi<br/>male blandis gaudiis<br/>applicat animum,</p> <p>6a. Templis excluditur<br/>dominicis, lacrimis<br/>rigat pedes virginis<br/>moerendo, lugendo<br/>semet cruciat<br/>damnans, quae gesserat.</p> <p>7a. Haec sunt solemnia,<br/>quae tu efficis,<br/>o patris sapientia,</p> <p>8a. Post haec subintrat<br/>portum eremi procellis<br/>enatans saeculi,</p> <p>9a. Angelicis sublevatur<br/>orans a tellure<br/>manibus</p> <p>10a. O Christe, rex celebris,<br/>leo fit funeris<br/>sacri tumulator,<br/>verna fidus,<br/>mitis ex effero.</p> | <p>2b. Et agendorum par<br/>potestas et ratio.</p> <p>3b. Sine reatu reorum<br/>qui tollis crimina.</p> <p>4b. Ejus clementia<br/>nigram peccatis Mariam<br/>candidavit Niliacam.</p> <p>5b. Porcorum convictu<br/>foedata revertitur<br/>ad patris gremium.</p> <p>6b. Virgo puerpera<br/>gemiscentem miseram<br/>miserans poenitentem<br/>exaudit, emundat,<br/>lavat, expiat,<br/>aditum reserat.</p> <p>7b. Ove centesima,<br/>dragma perdita<br/>recepta tua gratia.</p> <p>8b. A sene sancto<br/>quo visitatur et vitae<br/>ferclis saturatur.</p> <p>9b. Et coelicis sociatur<br/>coelo coeli civis<br/>civibus.</p> <p>10b. Quam te decent talia<br/>solus miracula,<br/>qui in sanctis tuis,<br/>facis aurum<br/>conflans ex sabulo.</p> |
|---|---|

- 11a. Quid David, tu scis  
tangens te quoque peccatrix,  
latro, Petrus  
et Matthaeus.
- 11b. Quisnam emollit  
corda dura, quis indulget  
culpīs gratis  
nisi Deus?
12. Rex regum, fili Mariae,  
inspira peccatorum  
nobis poenitentiam  
pro gratia dans gratiam.

Miss. ms. Underdorfense anni 1437 Clm. Monacens. 7550 A. — Miss. Frisingense imp. Monachii 1579. B. — 1, 2 pneumate A. — 2a, 2 quibus est actio B; quaelibet est actio. — 4a, 2 Jerichontea A. — 4a, 3 sq. civem fecit jam AB. — 4b, 2 nigra peccatis A. — Mel.: Psallite.

229. De ss. Maria Jacobi et Salome.

1. Virgini pangamus laudes  
et suis sodalibus.

- 2a. Anna dulcis profuit,  
Tres maritos habuit  
Et ex illis protulit  
Tres sorores.
- 2b. Joachim primus sponsus  
Cleophas est secundus  
Et dux vitae Salomas  
Fuit ternus.
- 3a. Die nobis, Maria,  
virgo prima filia,  
Tu mater Dei viventis,  
casta gaudens honore parentis.
- 3b. Angelico teste  
Deum paris et caste.  
Surrexit proles bis bina  
Ex Maria, quae est secunda.
- 4a. Credendum est, quod Salome  
Mariae filii  
sunt duo nati,  
qui sunt beati.
- 4b. Scimus, septem processisse  
natos ex his vere.  
Tu nobis, Christe  
rex, miserere.

Grad. ms. Carmeli Parisiens. saec. <sup>15</sup>/<sub>16</sub>. Cod. Mazarin. 465 (1388 C).  
A. — Miss. Ultrajectinum imp. Antverpiae 1540. B. — 2b, 1 Joachim est  
B. — 2b, 2 Cleophasque A. — 2b, 3 Dux vitae A. — 2b, 4 tertius B. —  
3a, 4 gaudes B. — Mel.: Victimae paschali.

230. De s. Maria Magdalena.

- 1a. Monti Sion dat virorem  
Ros Hermon et viror florem  
Fecundum in gratia;
- 1b. Ad honorem Magdalena,  
Roris hujus imbre plena,  
Sollemnicent omnia.
- 2a. Rigans montes gratiarum  
Ad convallem lacrimarum  
Ros coelestis effluit;
- 2b. Ibi jacens Magdalena,  
Lacrimarum imbre plena,  
Christi pedes abluit.
- 3a. Abluentis cor fecundat  
Et tergentis corpus mundat  
A culparum sordibus;
- 3b. Mandat pacem osculanti  
Et unguentis abundanti  
Largus est muneribus.

- |   |  |
|---|--|
| <p>4 a. Auster fugans aquilonem,<br/>Lux illustrans rationem<br/>In amorem perficit;</p> <p>5 a. Dulcis luctus, dulcis clamor,<br/>Dulcis magis ardens amor<br/>In tali connubio;</p> <p>6 a. Lugens adstat morienti,<br/>Sed congaudet resurgenti<br/>Ejus narrans gloriam,</p> <p>7 a. Novis modis ibi rapta,<br/>Novis demum donis apta,<br/>Sponsi gaudet praemiis;</p> | <p>4 b. Grande signum pietatis,<br/>Mox purgatam a peccatis<br/>Sibi sponsam efficit.</p> <p>5 b. A dilecti nulla sorte<br/>Nec in vita nec in morte<br/>Laxatur obsequio.</p> <p>6 b. Et regnantem confitetur,<br/>Dum in rupe profitetur<br/>Vitam solitariam.</p> <p>7 b. Ad hanc partem, quam elegit,<br/>Ducat nos, qui mundum regit,<br/>Ejus patrociniis.</p> |
|---|--|

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477 A. — Grad. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. <sup>15</sup>/<sub>16</sub>. B. — Grad. ms. Praedicatt. saec. 14. Chm. Monacens. 23287. C. — Grad. ms. Praedicatt. saec. 15. Cod. Dusseldorpiens. D. 11. D. — Miss. ms. Praedicatt. saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. 4<sup>o</sup> 10. E. — Miss. Praedicatt. imp. Venetiis 1600. F. — 1 a, 1 victorem F. — 7 a, 3 donis aucta F. — Mel.: In suprema regione B.

### 231. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Omnis mundus<br/>Laetabundus<br/>Ista digna recoli<br/>Recolat solemnia;</p> <p>2 a. Qui velut aurum<br/>ab Aquilone prodiit,<br/>Dum ex Hebraeis<br/>proles illustris exiit<br/>De tribu Benjaminæ,<br/>Flos de radice spinea.</p> <p>3 a. Mox sicut gressu<br/>sic et vita sobria</p> <p>4 a. Antiocho<br/>Et Romulo<br/>Dant Christum sacra labia;</p> <p>5 a. Lemovix,<br/>Genitrix<br/>Erroris et filia,</p> <p>6 a. Hospes unicum hospitum<br/>curat fugans daemona,</p> <p>7 a. Instans frangendis idolis<br/>Torquetur a multicolis,<br/>Fulminati recipiunt<br/>Vitam, fidem perfidia.</p> | <p>1 b. Lux festalis<br/>Martialis<br/>Rutilat apostoli<br/>Tui Aquitania.</p> <p>2 b. A summo fonte<br/>fontem baptismi meruit,<br/>Oleum et mel<br/>de petra sugens eruit,<br/>Dum Christi praesens opera<br/>Vidit, suscepit munera.</p> <p>3 b. Petrae ac Petri<br/>sequitur vestigia.</p> <p>4 b. Martialem<br/>Hunc et talem<br/>Doctorem sumit Gallia.</p> <p>5 b. Petitur,<br/>Redditur<br/>Comes per bacteria.</p> <p>6 b. Natus Nervae surgit foris,<br/>intus hominum milia.</p> <p>7 b. Vanis praeponens seria,<br/>Sponsum sponso Valeria,<br/>Fit rosa quia liliū,<br/>Fert noir brevi caput via.</p> |
|---|---|

- |   |  |
|---|--|
| 8a. Sed poli vult centrum tangere<br>Martialis tendens promere<br>Universa.                     | 8b. Qui tot restituit mortuos<br>Quot signipotens morbidos,<br>Res stupenda.                       |
| 9a. His perpendatur, cetera<br>Quam fuerint innumera.   | 9b. Certa credantur vetera<br>Per nova mira opera.   |
| 10a. Transituro ex hoc mundo<br>Apparens ut saepius<br>Cum luce lux aeterna                     | 10b. Diem dat, qua de profundo<br>Secum miles proprius<br>Conscenderet superna.                    |
| 11a. Populi concurrunt cuncti<br>Per eum Christo conjuncti<br>Proprii apostoli<br>ad novissima. | 11b. Quos dum admonet, repente<br>Christo sibi occurrente<br>Coelos coelorum subit<br>felix anima. |
| 12a. Gaude gens Aquitanica,   | 12b. Tu praesertim Lemovica.   |
| 13a. Martialem ore,<br>Martialem corde<br>Posce pium<br>cum laude debita.                       | 13b. Clamet grex sodalis:<br>Sancte Martialis,<br>Gentem tuam<br>et cunctos visita.                |
| 14a. Martialis, apostoli<br>Tui, Christe,<br>Prece nostra omnia<br>Guberna.                     | 14b. In te renatae soboli<br>Dux assiste<br>Donans frui gloria<br>Aeterna.                         |

15. Subjungant rerum singula:  
Sit Deo laus in saecula.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 903 A. — Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 1132 add. saec. 12. B. — Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. <sup>12</sup>/<sub>13</sub> Cod. Parisiens. 1139. C. — 2a, 2 prodit A. — 2b, 4 sugens exivit A. — 4a, 2 Dans A. — 8b, 2 Quod signis potens B. — 11b, 3 subit fehlt A; subiit B. — 11a, 2 compuncti C. — 14b, 3 fari gloria A.

232. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Gratiarum modulis<br>Laetetur ecclesia,<br>Rutilans oraculis<br>Plaudat Aquitania<br>Votis sumptis sedulis.                       | 1b. Lemovicis populis<br>Divina clementia,<br>Martialis titulis<br>Conceditur gratia<br>Ditata miraculis.                         |
| 2a. Dum Jesus, qui nos mundavit,<br>In Judaea praedicaret,<br>Martialem perlustravit,<br>Ut Deo multiplicaret<br>Novum gregem Domini. | 2b. Sic instructus non expavit,<br>Sed ut fidem roboraret<br>Se labori subjugavit,<br>Ut elapsos revocaret<br>De tenebris lumini. |

- |  |   |
|--|---|
| <p>3a. Vitae pollet documentis,<br/>         Consolatur in lamentis,<br/>         Ritum pellit pravae gentis,<br/>         Vivis probans argumentis<br/>         Vivum Deum omnium.</p> <p>4a. Hic sodalis redemptoris<br/>         Subsequens vestigia,<br/>         Medela cuncti languoris,<br/>         Cujus beneficia<br/>         Rutilant feliciter.</p> <p>5a. O vas puritatis,<br/>         Pater pietatis,<br/>         Decus Aquitaniae,<br/>         Serva nos a carie,</p> | <p>3b. Hic effulget miris signis,<br/>         Hic comescit vires ignis,<br/>         Viam monstrat vitae dignis,<br/>         Gestis trahens nos benignis<br/>         Ad Dei servitium.</p> <p>4b. Claudis gressum, caecis lumen<br/>         Dant ejus suffragia<br/>         Sanitatis pandit flumen,<br/>         Membrorum [contagia]<br/>         Sanat mirabiliter.</p> <p>5b. Ut nos cum beatis<br/>         Regno claritatis<br/>         Fruamur et gloriae<br/>         Post vallem miseriae.</p> |
|--|---|

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 14. Cod. Parisiens. 916. —  
 4b, 3 Sanctitatis pandit. — 4b, 4 Lücke von 4 Silben.

### 233. De sancto Martiali.

#### 1. Laude pia et jucunda,

- |   |  |
|---|--|
| <p>2a. Alme pater, jam coelestis<br/>         Tibi chorus et terrestres<br/>         Modulatur organa<br/>         Voce praecelsa.</p> <p>3a. Laudat Christum creatorem,<br/>         Sibi talem quod pastorem<br/>         Praeelegit gratia<br/>         Mente devota.</p> <p>4a. Hunc Judaea, rosam spina,<br/>         Dulcem uvam stirps amara<br/>         Tribu Benjaminica<br/>         Gaudet enixa.</p> | <p>2b. Ave princeps principatus,<br/>         Promit odas decoratus<br/>         Virtutum insignia<br/>         Nostra caterva.</p> <p>3b. Laudum vota concinendo,<br/>         Pia prece exsequendo<br/>         Intonemus cantica<br/>         Voce praecelsa.</p> <p>4b. Hic utroque cum parente<br/>         Terno lustrum jam volvente<br/>         Baptismi remedia<br/>         Suscipit laeta.</p> |
|---|--|

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 1137 add.  
 saec. 11/12. — Das Weitere fehlt. Ich gebe das Bruchstück, weil wenig Aus-  
 sicht vorhanden, das Fehlende anderwärts zu finden.

### 234. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1a. Purus puer Benjaminica,<br/>         Martialis, cujus vita<br/>         Vivit in ecclesia,</p> <p>2a. Hic duobus comitatus,<br/>         Alter quorum suscitatus<br/>         Petri tactus baculo;</p> | <p>1b. Nobis fuit delegatus<br/>         Et a Christo pastor datus<br/>         Speciali gloria.</p> <p>2b. Deum verum praedicavit,<br/>         Qui pro nobis se mactavit<br/>         Crucis in patibulo.</p> |
|---|---|

- |  |  |
|--|--|
| <p>3a. Verba signis confirmantur,<br/>Signa verbis conformantur,<br/>Virtutum potentia.</p> <p>4a. Nervae natus vitae datur<br/>Et infirmi reseratur<br/>Luctus et miseria,</p> <p>5a. Caecis visus restauratur,<br/>Salus aegris condonatur,<br/>Laetis cedunt tristia;</p> <p>6a. Vitae verbis virgo credit,<br/>Dum se totam Christo dedit,<br/>Martyr fit Valeria.</p> <p>7a. Amne mersus in profundo<br/>Tractus amnis est de fundo<br/>Daemonum praesentia,</p> <p>8a. O beate Martialis,<br/>Nos ab hostis serva malis,<br/>Tibi qui concinimus,</p> <p>9a. Ut immunis a piratis<br/>Portum petat nostra ratis,<br/>Mundi rege fluctibus.</p> <p>10a. Christe, virtus et corona,<br/>Meritorum nobis dona<br/>Te munus in patria,</p> | <p>3b. Sic ad Christum convertuntur,<br/>Infideles et sequuntur<br/>Ipsius vestigia.</p> <p>4b. Daemon victus effugatur<br/>Et Arnulphi liberatur<br/>A tyranno filia.</p> <p>5b. Quando jubet, mors recedit,<br/>Et ad corpus vita redit<br/>Fidei constantia.</p> <p>6b. Caput offert virgo Dei,<br/>Sese Deo, Deus ei<br/>Palmam pro victoria.</p> <p>7b. Hildebertus, dux laetatur,<br/>Nam defunctus suscitatur<br/>Deo dans preconia.</p> <p>8b. Ne fallaces ejus doli<br/>Nos a regno privent poli,<br/>Per te data petimus.</p> <p>9b. Largus large largiaris,<br/>Plus largire, quam rogaris,<br/>Tibi famulantibus.</p> <p>10b. Spes et vita, sors bonorum,<br/>Pax et decus angelorum,<br/>Tibi laus et gloria.</p> |
|--|--|

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13. Cod. Parisiens. 1139. A. —  
Antiph. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 14. Cod. Parisiens. 916. B. —  
1a, 1 Purus puer A. — 1b, 1 delectatus B. — 4a und b ungestellt A. —  
9a, 1 aspiratis B. — 9a, 2 Partum B.

### 235. De sancto Martiali.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Veneranda veneretur<br/>Celebrisque celebretur<br/>Haec tanta solemnitas,</p> <p>2a. Diem istam mors natalis<br/>Apostoli Martialis<br/>Dignam fecit gaudio,</p> <p>3a. O quam felix sanctus iste,<br/>Qui te vidit, Jesu Christe,<br/>Et Deum et hominem,<br/>Puer dono praeventus gra-<br/>tiae<br/>Et parentum simul et pa-<br/>triae<br/>Reliquit dulcedinem.</p> | <p>1b. Ex ardore caritatis<br/>Hac die jucunditatis<br/>Sit cunctis jucunditas.</p> <p>2b. Morienti vita datur,<br/>Qui vivens moriebatur<br/>Carnis desiderio.</p> <p>3b. Christi vidit passionem,<br/>Illi post ascensionem<br/>Datus est paraclitus;<br/>Romam venit cum Petro prae-<br/>dicans,<br/>Sanctum Christi nomen mag-<br/>nificans,<br/>Hoc solo sollicitus.</p> |
|--|---|

- |  |   |
|--|---|
| 4a. Huc egressus repedavit<br>Sociumque suscitavit<br>In Petri bacterio,   | 4b. Aquitaniam ingressus<br>Tullo praedicavit fessus<br>Ex viae dispendio.  |
| 5a. Sic Arnulphi curans natam<br>A daemonio vexatam<br>Sanam patri reddidit,   | 5b. Hujus et oratio<br>Principis in filio<br>Mortis jura perdidit.  |
| 6a. Hinc veniens Agedunum,<br>Tres personas Deum unum,<br>Praedicabat gentibus,  | 6b. Tres non tria dicens esse,<br>Ut sic credant, est necesse<br>Salvari volentibus.  |
| 7a. Hic ministris idolorum<br>Non compensator malorum<br>Lumina restituit,   | 7b. Quod a paralitico<br>Accepit munifico,<br>Egenis distribuit.  |
| 8a. Plures illic baptizavit,<br>Missus tandem festinavit<br>Ad urbem Lemovicum,  | 8b. A Susanna hospitatus<br>Ejus prece non ingratus<br>Curavit phreneticum.   |
| 9a. Huic in carcerem detruso<br>Et cum sociis incluso<br>Lucis luxit radius,   | 9b. Sacerdotes fulminatos<br>Christo vitaeque renatos<br>Reddidit propitius.  |
| 10a. Fonte sacro renovantur<br>Omnes simul et mundantur<br>Et deorum exsecrantur<br>Prorsus idolatriam;                          | 10b. A gentilium errore<br>Christo nexu firmiore<br>Valentem vitae valore<br>Conjunxit Valeriam.                                      |
| 11a. Morte digna morientem<br>Ad inferos descendantem<br>Dux iste ducis clientem<br>Ad superos collocat;                         | 11b. Hinc convertit ipsum ducem,<br>Pium modo, prius trucem,<br>Et ad Christum veram lucem<br>De tenebris evocat.                     |
| 12a. Et nec minus signum fecit<br>Quando malignos ejecit<br>Spiritus a flumine,  | 12b. A daemone suffocatum<br>Arcadium rursus natum<br>Vitae ditat lumine.   |
| 13a. Sic vir mirae sanctitatis<br>Datus est humilitatis<br>Exemplar et titulus.  | 13b. Coelos non ingreditur,<br>Quisquis non efficitur<br>Sicut iste parvulus.   |
| 14a. Iste legis nostrae murus<br>Ad patriam progressurus<br>Et coronam adepturus,<br>Quo fuerat moriturus,<br>Scire diem meruit. | 14b. Pastor bone, redemptorem<br>Nostrum redde proniorem,<br>Ut coelorum nobis forem<br>Aperiat, qui pastorem<br>Te nobis praeposuit; |
15. Qui dulcem precum odorem,  
Qui gemitum et clamorem  
Pauperum non renuit.

Trop. ms. S. Martialis saec. 12/13. Cod. Parisiens. 1139. — Mel. hier nicht Laudes crucis; dennoch ist die Sequenz vermutlich nach dieser Mel. gearbeitet. Dann sind Str. 12, 13, 15 Interpolationen.



236. De sancto Martiali.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Gaude stirpe, Siria,<br>Plaudat Aquitania<br>Martialis titulis,  | 1b. Speciale gaudium<br>Det Lemovicinium<br>Ipsius miraculis.  |
| 2a. Plaudat omni tempore<br>Tanti viri corpore<br>Fulgens urbs Lemovica,   | 2b. Tam praeclaro socio<br>Glorietur concio<br>Felix apostolica.   |
| 3a. Sanctitatis gratia<br>Clarus ab infantia<br>Christo puer jungitur,   | 3b. Clarae puer indolis<br>Exemplar apostolis<br>Virtutis ostenditur.  |
| 4a. Cum duobus sociis<br>Martialis Galliis<br>Praedicatum mittitur,  | 4b. Morte raptō socio<br>In Petri balterio<br>Vita restituitur.  |
| 5a. Ab Arnulphi filia<br>Propulsat daemonium,<br>Nervae Dei gratia<br>Vitae reddit filium.                         | 5b. Ingressus apostolus<br>Lemovicas liberat<br>Populum, quem subdolos<br>Hostis captivaverat.               |
| 6a. Cessat idolatria,<br>Praedicatur latrā,<br>Ducissa cum filia<br>Credit et familia.                             | 6b. Templorum pontifices<br>Indignati nimium<br>Infigunt multiplices<br>Poenas et supplicium.                |
| 7a. Hostis laedit<br>Praesul cedit,<br>Suffert poenas<br>Et catenas,<br>Servatur in carcere.                       | 7b. Quod oravit,<br>Impetravit,<br>Lux illuxit,<br>Carcer fulsit,<br>Clausus exit libere.                    |
| 8a. Fulminantur<br>Mortis rei,<br>Suscitantur<br>Nutu Dei<br>Martialis precibus,                                   | 8b. Cuncti credunt,<br>Baptizantur,<br>Deum verum<br>Venerantur<br>Parvi cum majoribus.                      |
| 9a. Hildebertus in profundo<br>Mersus aquae fert a fundo<br>Tractus vitae redditus,<br>Stupet ducis exercitus.     | 9b. Ictu caesus ignis trucidis<br>Suscitatur cliens ducis,<br>Decollator Valeriae,<br>Protomartyris Galliae. |
| 10a. Igne sacro gens crematur<br>Urbem replet, desolatur,<br>Supplex orat et implorat<br>Patris patrociniū.        | 10b. Extra muros corpus latum<br>Martialis sanitatum<br>Munus praebet expectatum,<br>Cessat languor omnium.  |
| 11a. Exit mater conspectatum,<br>Super ignem linquit natum,<br>Bullit unda,<br>Caro munda<br>Non sentit incendium. | 11b. Omnis morbus evanescit,<br>Martialis nomen crescit,<br>Sanitati<br>Cuncti dati<br>Dei laudant filium.   |

12. *Martialis gaudium*  
Det nobis coelestium.

Trop. ms. S. *Martialis Lemovicens. saec. 12/13* Cod. Parisiens. 1139 add. saec. 13/14.

237. *De sancto Martiali.*

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Exsultemus sic in Deum,<br>Ut mens tota sit in eum<br>Directa per gratiam,          | 1 b. Lingua vitae se maritet,<br>Ita quod omnes invitet<br>Ad coelestem gloriam.     |
| 2 a. Martialem lingua sonet,<br>Cujus prece nos coronet<br>Rex in sua curia,             | 2 b. De quo apostolis dixit:<br>Ni quis humilis ut hic sit,<br>Non speret coelestia. |
| 3 a. Hic cum Christo conversatus<br>Virgo creditur oblatus,<br>Se post servans virginem; | 3 b. Benjamita lux illuxit,<br>Quem Benjamin stirps produxit<br>Excedentem hominem.  |
| 4 a. Lemovica, choris plaude<br>Et in apostolo gaude<br>Ore, corde, opere;               | 4 b. Totus dies celebretur<br>Et in laudem integretur<br>Pie et sumopere.            |
| 5 a. <i>Martialis</i> pro his oret<br>Et ante Deum peroret,<br>Ut aeterna fercula        | 5 b. Nobis gloriosus donet,<br>Sed prius culpas condonet<br>Per aeterna saecula.     |

Trop. ms. S. *Martialis Lemovicens. saec. 12/13* Cod. Parisiens. 1139. A. —  
Antiph. ms. S. *Martialis Lemovicens. saec. 14.* Cod. Parisiens. 916. B. — 1 b, 2  
omnis B. — 4 a, 2 apostolico B. — 4 b, 3 et sine opere B.

238. *De sancto Martiali.*

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Dissoluto carnis luto<br>Angelorum subit chorum<br>Martialis hodie,                | 1 b. Jugis ei lux diei<br>Hodiernae, qua supernae<br>Fit cohaeres gloriae.              |
| 2 a. De tenebris mundo luxit<br>Lux celebris, cum produxit<br>Stirps hunc Benjaminea,   | 2 b. Carne situs detestatur<br>Carnis ritus et ornatur<br>Corona virginea.              |
| 3 a. Mundum sprevit et decrevit<br>Cultor aequi, Christum sequi<br>Habitum sub paupere; | 3 b. Ecce mirum vita virum,<br>Ecce istum, de quo Christum<br>Legimus asserere:         |
| 4 a. Coeli domo dignus erit<br>Omnis homo, qui hunc quaerit<br>Imitari parvulum.        | 4 b. Juxta Dei documentum<br>Monstrat rei argumentum,<br>Quod sit cunctis speculum.     |
| 5 a. Sic virtutum vas odorum,<br>Vas complutum rore morum<br>Et coelesti gratia,        | 5 b. Sic lucerna semper lucens,<br>Ad superna nos reducens<br>Per exempla praevia.      |
| 6 a. Hujus gestis virtus testis,<br>Quae divinam medicinam<br>Impertitur miseris        | 6 b. Muti fantur et sanantur<br>Aegri cuncti et defuncti<br>Redeunt ab inferis.         |
| 7 a. Libertatis status datur<br>Captivatis, suffocatur<br>Ignis succutaneus;            | 7 b. Huic statum primae sortis<br>Post monstratum diem mortis<br>Spondet rex aethereus. |

- 8a. Jesu pie, mundans unda,  
In hac die nos emunda  
Ab omni spurcitia
- 8b. Atque prece tanti viri  
Mundos faece virus diri  
Transfer ad coelestia.
- Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Parisiens. 1139.

239. De sancto Martiali.

1. Coeli enarrant gloriam Dei,  
Alleluja.

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Coelum nobis conlaetatur,<br>Dum de coelo nobis datur<br>Honor, virtus, gloria;                          | 2b. Gaudet terra, gaudet mare,<br>Martiali laudes dare<br>Gaudet Aquitania.                               |
| 3a. Totus illi det ducatus<br>Laudes sine termino,<br>Qui signum apostolatus<br>Ejus est in Domino.          | 3b. Verus hic Israelita<br>Tribu Benjaminea,<br>Quem conjunxit Petro vita<br>Sanguinisque linea.          |
| 4a. Ipso Christo praedicante,<br>Petro Christi signum dante<br>Baptizatus fuit ante<br>Bonae spei parvulus,  | 4b. Et quem sibi consecravit,<br>Suo Christus pane pavit,<br>Inde tantus emanavit<br>Sanctitatis rivulus. |
| 5a. Ut fons illum vitae lavit,<br>Hunc in fide solidavit<br>Virtus apostolica                                | 5b. Inter verbi fundatores<br>Praegustavit morum flores<br>Et percepit mystica.                           |
| 6a. Quidquid benedictionis,<br><br>Quidquid facti vel sermonis<br>Suis Christus praestitit,                  | 6b. Postquam consors est sus-<br>ceptus,<br>Totum puer est adeptus<br>Et particeps exstitit.              |
| 7a. Hi sunt testes tui, Christe,<br>Per quos tibi mundus iste<br>Servit et subjicitur;                       | 7b. Hi barba sunt Aaronis,<br>Per hos templum Salomonis<br>In altum erigitur.                             |
| 8a. Haec sunt ejus fundamenta,<br>Haec vasa vel instrumenta,<br>Hi leones aenei;                             | 8b. Hae bases, haec capitella,<br>Haec plantatio novella,<br>Christianae fidei.                           |
| 9a. Inter tales factus talis<br>Bonus pastor Martialis<br>Semen verbi spiritalis<br>Sparsit in hanc patriam. | 9b. Inter istos enutritus<br>Et ab istis est adscitus,<br>Ut in novae legis ritus<br>Instruat ecclesiam.  |
| 10a. Gaude, tellus Aquitana,<br>Quae de manu Christi grana<br>Sumis apostolica;                              | 10b. Fecundata fruge multa,<br>Gaude magis et exsulta,<br>Civitas Lemovica.                               |
| 11a. Hic a Deo pastor datus<br>Est virtute operatus<br>Signa per innumera,                                   | 11b. Jam sanans foris languores,<br>Castigavit intus mores<br>Et repressit scelera.                       |
| 12a. Ergo cleri lumen verum,<br>Martialis, audi clerum<br>Gregemque monasticum                               | 12b. Praesens poscit te caterva,<br>Tu nos rege, tu nos serva<br>Per hoc iter lubricum.                   |

- |  |  |
|--|--|
| <p>13 a. Multi morte resoluti<br/>Per te mundo restituti<br/>Vitaque sunt redditi;</p>         | <p>13 b. Sic nunc, palmes vitis verae,<br/>Fac in vite nos manere,<br/>Quae dat vitam palmiti.</p> |
| <p>14 a. Tu sol lucens in virtute,<br/>Tu spes plebis destitutae,<br/>Tu morum es formula;</p> | <p>14 b. Tu sal terrae, tu lux mundi,<br/>Tibi simus laetabundi<br/>Per aeterna saecula.</p>       |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. <sup>12</sup>/<sub>13</sub> Cod. Parisiens. 1139.

#### 240. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Lux praeclara,<br/>Lemovix, refulsit tibi<br/>Die ista,</p>                                       | <p>1 b. Qua patronum<br/>Salvator invitat tuum<br/>Promens ista:</p>                                    |
| <p>2 a. Veni, dilectissime<br/>Martialis, percipe<br/>Regis dona,</p>                                     | <p>2 b. Te quina nam feria<br/>Vera cibi praemia<br/>Sunt parata.</p>                                   |
| <p>3 a. Mors, fraus, luctus, gemitus<br/>Nullus ibi penitus,<br/>Sed pax multa,</p>                       | <p>3 b. Lux inaccessibilis,<br/>Flos immarcessibilis,<br/>Perpes vita.</p>                              |
| <p>4 a. Novum foedus pepigit,<br/>Plebem laetus colligit<br/>Patriarcha,</p>                              | <p>4 b. Quam die novissimo<br/>Commendat altissimo<br/>Prece pia.</p>                                   |
| <p>5 a. Sedem petit propriam,<br/>Sacram fundit animam,<br/>Quae coelestem gloriam<br/>Scandit laeta.</p> | <p>5 b. Galli, Gothi, Guaxones,<br/>Aquitani celeres<br/>Accurrunt et supplices<br/>Complent jussa.</p> |
| <p>6 a. Praesens interfuit<br/>Jesus et patuit<br/>Coelum apostoli<br/>ad funera.</p>                     | <p>6 b. Chorus coelestium,<br/>Pneuma dragmaticum<br/>Palam canit ejus<br/>pro gloria.</p>              |
| <p>7 a. Dele, pater, peccata<br/>Et corrige errata.</p>   | <p>7 b. Prece redde sacrata<br/>Nobis loca beata.</p>   |

Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. <sup>12</sup>/<sub>13</sub> Cod. Parisiens. 1139. —  
Mel. = Laetabundus mit einem Zusatze für Strophe 7.

#### 241. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Martialem<br/>Chorus noster laudet laetus,<br/>Alleluja.</p>        | <p>1 b. Quem munivit<br/>Angelorum semper coetus,<br/>Res miranda.</p>        |
| <p>2 a. Bonae puer indolis<br/>Missus cum apostolis,<br/>Sol de stella.</p> | <p>2 b. Benjamin hunc genuit,<br/>Velut rosa splenduit,<br/>Semper clara.</p> |

- |  |  |
|--|--|
| 3 a. Doctus cum discipulis<br>Praedicavit populis<br>Pari forma.                             | 3 b. Sideribus pulchrior,<br>Caro nive mundior<br>Incorrupta.                                |
| 4 a. Martialis praedicat,<br>Populos laetificat<br>Valle nostra.                             | 4 b. Comes suus moritur,<br>Vivus restituitur<br>Carne sumpta.                               |
| 5 a. Sex mortuos suscitatur,<br>Idola praecipitat,<br>Gens pagana crepitatur<br>Mente caeca. | 5 b. Lemovicis civibus<br>Stillat de coelestibus<br>Confirmans virtutibus<br>Haec praedicta. |
| 6 a. Ergo benevolum<br>Christi apostolum<br>Posce precibus,<br>gens misera,                  | 6 b. Ut sternat zabulum.<br>Gratiae rivulum<br>Det, quem genuit<br>puerpera.                 |

Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. 12/13 Cod. Parisiens. 1139 — Mel.: Laetabundus.

242. De sancto Martiali.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Exsultet ecclesia,<br>Jucundetur curia<br>Supernorum civium.     | 1 b. Plaudat Aquitania,<br>Nova fundat gaudia<br>Plebs Lemovicensium.       |
| 2 a. Martialem gratia<br>Corruscantem varia,<br>Exemplar humilium,    | 2 b. Plaudat mente sobria<br>Cum summa laetitia<br>Populus fidelium.        |
| 3 a. Oranti piissime<br>Virginis sanctissimae<br>Gloriosum filium;    | 3 b. Pax tibi, carissime,<br>Frater fidelissime,<br>Dixit auctor omnium;    |
| 4 a. Quintadecimo die<br>Te jungam militiae<br>Militum coelestium.    | 4 b. Viso rege gloriae<br>Plenus est laetitiae<br>More resurgentium.        |
| 5 a. Convocatis fratribus<br>Nuntiavit omnibus<br>Transitus indicium. | 5 b. Tanti patris precibus<br>Da, Christe, supplicibus<br>Paradisi gaudium. |

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 14. Cod. Parisiens. 916 A. —  
Offic. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 15. Cod. Parisiens. (Arsen.) 666.  
B. — Mel.: Veni sancte spiritus. — 2 b, 3 Populis A. — 3 b, 2 Pater A.

243. De sancto Martino.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Velut topazion<br>ex Aethiopia<br>Martinum protulit<br>olim Pannonia. | 1 b. Hic altus Ticini<br>a pueritia<br>Juvenis trahitur<br>ad tyrocinia. |
|--|--|

- |  |  |
|--|--|
| 2a. Nondum tamen baptizatus<br>Erigebat miseratus<br>Fructos indigentia;           | 2b. Die quadam Ambianis<br>Appropinquans cum Romanis<br>Fecit mirabilia.               |
| 3a. Unde vestem<br>Scindens testem<br>Salvatorem habuit,                           | 3b. Et in nudo<br>Amplitudo<br>Caritatis patuit.                                       |
| 4a. Sic vir Dei novo more<br>Suo regem in decore<br>Trabeatus conspicit,           | 4b. Nam, quod dedit, vestimentum<br>Fore regis ornamentum,<br>Soporatus didicit.       |
| 5a. Quo viso protinus<br>Jam catechuminus<br>Baptismo tingitur                     | 5b. Et Adae veteris<br>Contemptor operis<br>Novum amplectitur.                         |
| 6a. In occursum barbarorum<br>Caesar pergens Romanorum<br>Erogat stipendia,        | 6b. Ad Martinum ubi venit,<br>Donativum ille sprevit<br>Statim cum militia.            |
| 7a. Igitur Hilarium<br>Adiit egregium,<br>Pictavorum praesulem,                    | 7b. Qui repletus gaudio<br>Cum ingenti studio<br>Mundi fovit exsulem.                  |
| 8a. Tandem de cellula<br>Potitus infula<br>Pastor attollitur,                      | 8b. Quo plebs Turonica<br>Sorte mirifica<br>Ductore regitur.                           |
| 9a. Impar martyris nullius<br>Confessoris laus istius<br>Replet omne saeculum,     | 9b. Prece loqui fecit mutos,<br>A defunctis tres solutos<br>Mortis rupit vinculum.     |
| 10a. Dum offerret hostiam,<br>Globus ignis micuit                                  | 10b. Et ab ejus capite<br>Longo crine claruit.   |
| 11a. Ad extremum sibi vere<br>Finem dixit imminere<br>His, qui praesto aderant;    | 11b. Tunc replentur omnes luctu,<br>Ejus quippe quondam ductu<br>Mundi luxum vicerant. |
| 12a. Hic lucerna sanctitatis,<br>Zona strictus castitatis,<br>Nocte transit media. | 12b. Poli sonat harmonia,<br>Cum virginibus Maria<br>Illi fuit obvia.                  |
13. Da Christe veniam  
Miseris etiam.

Trop. ms. Martialis Lemovicensis saec. 12/13. Cod. Parisiens. 1139.

#### 244. De sancto Martino.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Confessorum flos Martinus,<br>Pater prudens et divinus,<br>Mundo lux apparuit, | 1b. Catechismo consignatus,<br>Nondum tamen baptizatus<br>Pietate claruit. |
| 2a. Partem vestis dat mendico,<br>Deo placet sic amico<br>Referenti gratias,       | 2b. Quo divina celebrante<br>Nutu dei obturante<br>Operitur nuditas.       |

- |   |  |
|---|--|
| 3a. Super eum globus ignis<br>Venit simul et insignis<br>Lucis coruscatio,        | 3b. Tanti viri sanctitatis<br>Et perfectae bonitatis<br>Vera demonstratio.         |
| 4a. Ecce gaudent et contracti<br>Visu, nervis sani facti<br>Istius praesidio,     | 4b. Aegros multos hic sanavit,<br>Tres defunctos suscitavit<br>Confisus in Domino. |
| 5a. Arianam sectam stravit,<br>Fidem sanctam reformavit<br>Per tot mirabilia,     | 5b. Monachorum vitam pavit,<br>Verbo Dei roboravit<br>Ostendens magnalia.          |
| 6a. Tandem pater infirmatur,<br>Coetus fratrum convocatur,<br>Eorum memoriae      | 6b. Commendando se decedit,<br>Luctus et planctus succedit<br>Immanis moestitiae.  |
| 7a. Adsunt angeli gaudentes<br>Spiritus ejus vehentes<br>Usque thronum gloriae,   | 7b. Iste regi Deo placet<br>Neque laudem chorus tacet<br>Coelestis militiae.       |
| 8a. Pro defuncto litigatur,<br>Hoc obtento Tours laetatur<br>Dei providentia,     | 8b. Ubi chorus monachorum<br>Et in laudem populorum<br>Abundat frequentia.         |
| 9a. O quam dignum et laudandum,<br>Vita, signis venerandum<br>Poli tenent atria;  | 9b. Ibi Deus hunc deorum<br>Pro virtute meritorum<br>Coronat in patria.            |
| 10a. Virtus sanctae Trinitatis,<br>Fac nos esse cum beatis<br>Hujus per memoriam, | 10b. Ut nos laudem resonare<br>Et perennem celebrare<br>Valeamus gloriam.          |

Grad. ms. Cranenburgense s. sign. anni 1340. — Mel. = Majestati sacrosanctae. — 5a, 1 Arciani. — 8a, 2 Thurs Hs. Auffallend ist diese nicht latinisierte Form. — Martinus war Kapitelspatron von Cranenburg.

#### 245. De sancto Martino.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Quam pie sit recolendus,<br>Quanta laude prosequendus<br>Martinus in saecula,    | 1b. Turonensis Gregorius<br>Quae scripsit et Sulpitius,<br>Testantur miracula.         |
| 2a. Mundo prius militavit,<br>Cui mox renuntiavit<br>Fitque pater monachorum,        | 2b. Demum invitatus trahitur,<br>Rapitur et efficitur<br>Episcopus Turonorum.          |
| 3a. Quos bonos novit, dilexit,<br>Quos malos, pie correxit,<br>Nullum cito judicans, | 3b. Adversantes sibi fovit<br>Nec a statu suo movit<br>A se nullum abdicans.           |
| 4a. Ab ipsius infantia<br>Crevit misericordia<br>Cum eo, quod hinc patuit,           | 4b. Quod de pallio partito<br>Cum paupere Christum cito<br>Tectum videre meruit.       |
| 5a. Arbori fani casurae<br>Opposuit se secure,<br>Quae cecidit e converso,           | 5b. Quasi conflictum indixit<br>Flammae, vento dum restrinxit<br>Incendium igne verso. |

- |   |  |
|---|--|
| 6a. Aliud fanum prostravit,<br>In quo quendam suscitavit,<br>Quem plebs martyrem cre-<br>debat, | 6b. Qui palam fuit testatus,<br>Quod ut fur fuit necatus<br>Nec cum sanctis quies-<br>cebat. |
| 7a. Hunc dum quidam appeteret<br>Gladio, ut occideret,<br>Divino nuto corrui;                   | 7b. Alter dum ferrum vibraret,<br>Ut Martinum morti daret,<br>Ferrum non comparuit.          |
| 8a. Turbam defunctum ferentem<br>Aestimans ritus nolentem<br>Invitam stare compulit,            | 8b. Sed cognita veritate<br>Vir affluens pietate<br>Impedimentum sustulit.                   |
| 9a. Nunc terrore, nunc foetore<br>Nunc sub atroci colore<br>Satan ipsum molestavit,             | 9b. Sed vir sanctus signo crucis<br>Et oratione trucidis<br>Hostis artes confutavit.         |
| 10a. Quem Satan praecipitavit,<br>Pia virgo visitavit<br>Cum sanctorum agmine,                  | 10b. Costas fractas solidavit<br>Linitas, quod apportavit<br>In ampulla, unguine.            |
| 11a. Maximum navem regentem<br>Et secum ire nolentem<br>Fluvius absorbit,                       | 11b. Quem ab eo evocatum<br>Et proficisci paratum<br>Mox sanum restituit.                    |
| 12a. Deus, qui es mirabilis<br>In sanctis et laudabilis,<br>Tuam nobis da gratiam,              | 12b. Per quam mala declinantes<br>Et, quae bona sunt, sectantes<br>Mereamur gloriam.         |

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098. — 2b, 1 invictus. — 5b, 1 induxit. — 9a, 2 atro colore.

#### 246. De sancto Martino.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Regem regum collaudemus,<br>Cujus regis recensemus<br>Militis solemniam;  | 1b. Est rex regum, rex divinus,<br>Ejus miles est Martinus<br>Militans in gloria. |
| 2a. Hic in mundo militavit,<br>Sed a mundo transmigravit<br>Ad coeli palatia, | 2b. Ut se Christo praesentaret<br>Et sub eo militaret<br>In coelesti curia.       |
| 3a. Duplex honor, duplex status<br>Fuit illi praesulatus<br>Simul et militia: | 3b. Vivo corde, mundo victu<br>Fuit miles in conflictu,<br>Praesul in ecclesia.   |
| 4a. Inter sordes mundi situs<br>Nulla tamen irretitus<br>Fuit immunditia,     | 4b. Sed se mundum custodivit<br>Et in mundo se munivit<br>Contra mundi vitia.     |
| 5a. Fide firma loriceatus,<br>Spe coronae galeatus,<br>Caritate praevia       | 5b. Motus carnis debellavit<br>Et omnino conculcavit<br>Luxum cum superbia.       |
| 6a. Hic de jure meritorum<br>Non unius sed multorum<br>Vivit in laetitia,     | 6b. Dato nobis exemplari<br>Nos cum turba militari<br>Invitat ad praemia.         |



- |   |   |
|---|---|
| <p>7a. O quam summae pietatis<br/>Et quam mirae caritatis,<br/>Qui cum manu largitatis<br/>Erogabat omnia;</p> <p>8a. O quam firmum se probavit,<br/>Qui non mori formidavit<br/>Nec vivere recusavit<br/>Promptus ad obsequia;</p> <p>9a. Artus febre fatiscentes,<br/>Moribundi et languentes<br/>Sunt saluti<br/>Restituti<br/>Per ejus suffragia.</p> <p>10a. O Martine, praesul bone,<br/>Pastor noster et patrone,<br/>Ora pro hac concione,<br/>Ut in coeli regione<br/>Tecum sit in gloria.</p> | <p>7b. Pauper, nudus adest testis,<br/>Immo Christus rex coelestis,<br/>Quem Martinus parte vestis<br/>Palliavit media.</p> <p>8b. Felix morte, felix vita,<br/>Vita felix fuit ita,<br/>Quod, dum vixit, inaudita<br/>Fecit mirabilia.</p> <p>9b. Tres defuncti suscitati<br/>Et ad vitam revocati<br/>Nos excitant<br/>Et invitant<br/>Ad credendum talia.</p> <p>10b. Praesens, Christe, creatura<br/>Te deposcit mente pura,<br/>Ut, dum vivit, sit segura<br/>Et post mortem des futura<br/>Perfrui laetitiam.</p> |
|---|---|

Miss. ms. S. Martini de Campis anni 1408. Cod. Mazarin 416 (235) A. — Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. Appendix pro prioratu S. Martini de Campis B. — 7a, 4 coronabat A. — 8b, 2 fehlt A. — 8b, 3 Qui dum vixit A.

#### 247. De sancto Martino.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Vernat gemma<br/>Martinus, minister bonus,<br/>Alleluja,</p> <p>2a. Turonis praesidio<br/>Ejus et consilio<br/>Fuit tuta.</p> <p>3a. Spe firmatus constitit,<br/>Signo crucis restitit<br/>Arbor lapsa.</p> <p>4a. Quod Martinus jusserat,<br/>Mergus aquas liquerat<br/>Petens sicca.</p> <p>5a. Vocavit per spiritum<br/>Deus civem inclitum,<br/>Spes cognovit obitum<br/>Praemunita.</p> <p>6a. Martino justior<br/>Nec fide sanctior<br/>Nec par exstitit<br/>nec melior,</p> | <p>1b. Pastor mitis<br/>Nec regis recusans onus<br/>Prece pia.</p> <p>2b. Trinitatis incola.<br/>Praesul fregit idola<br/>Foederata.</p> <p>3b. Hic partitus chlamydem<br/>Angularem lapidem<br/>Texit illa.</p> <p>4b. Quos mors alligaverat,<br/>Praesul suscitaverat<br/>Prece fusa.</p> <p>5b. Nocte praesul media<br/>Petiit coelestia<br/>Et vox per sublimia<br/>Est audita:</p> <p>6b. Qui vitro purior,<br/>Lacte candidior<br/>Cunctis floruit<br/>lucidior.</p> |
|---|--|

Miss. ms. S. Martini de Campis anni 1408. Cod. Mazarin. 416 (235) A. —  
Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. Appendix pro prioratu S. Martini de  
Campis B. — Mel. selbstverständlich: Lactabundus.

248. In Transitu s. Martini.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Jucundemur et laetemur<br>Et in laude gloriemur<br>Gloriosi praesulis,   | 1b. Cujus digna fuit vita,<br>Cujus mors est insignita<br>Signis et miraculis.   |
| 2a. Hic Martinus Christo teste<br>Christum textit sua veste<br>Adhuc catechuminus;   | 2b. Mundi quidem miles erat,<br>Sed a mundo, si quis quaerat,<br>Mundus nihilominus.   |
| 3a. Dives armis, dives cultu,<br>Tandem veste, vita, vultu<br>Pauperis induitur;   | 3b. Monachus fit et abjectus,<br>Sed nec mora, cum electus<br>Monachis praeficitur.  |
| 4a. Ab angelo librum dari<br>Gaudet, dum vult celebrari<br>Missam ab Hilario;  | 4b. Aegri currunt et curantur,<br>Tres defuncti suscitantur<br>De mortis supplicio.  |
| 5a. Jam virtute meritorum<br>Archipraesul Turonorum<br>Martinus eligitur,  | 5b. Pastor pascit, servat gregem<br>Et vivendi docet legem,<br>Haeresis confunditur.   |
| 6a. Dum offerret sacra digne,<br>Viso super caput igne<br>Miratur ecclesia;  | 6b. Dant honorem sanctitati<br>Torques coelitus allati,<br>Ne sint nuda brachia.   |
| 7a. Finem profert hic propinquum,<br>Condatensem adit vicum,<br>Ibi parat clericos;  | 7b. Mergis imperat potenter,<br>Sic fugarat hic frequenter<br>Spiritus maleficos.  |
| 8a. Inter manus tandem fratrum<br>Valedicens more patrum<br>Ponitur cilicio;   | 8b. Diabolum prope videt,<br>Sed vir sanctus hunc irridet<br>Securus de praemio.   |
| 9a. Angelorum sonat melos,<br>Dum Martinus intrat caelos;<br>Severinus audit cantum,<br>Clerus stupet, quare tantum<br>Dormitat Ambrosius. | 9b. Insistentes tuae laudi<br>Nunc, Martine pater, audi<br>Tuos servos, serve Dei,<br>Res et summa nostrae spei<br>Fac sit Dei filius. |

Miss. Majoris Monasterii imp. s. l. a. 1508.

249. In Translatione s. Martini.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Ad Martini titulum<br>In vocalem modulum<br>Prodeat devotio, |  |
| 2a. Fidei signaculum<br>Fulgeat ad oculum<br>Operis indicio.    | 2b. Praesul, gemma praesulum,<br>Culpae fit piaculum,<br>Vitae reformatio. |

- |   |   |
|---|---|
| <p>3a. Natus de gentilibus,<br/>Miles de militibus,<br/>De tribuno militum,</p> <p>4a. Pallium cum gladio<br/>Brumae scindit medio,<br/>Ambianis Dominum<br/>Tectum videt pallio.</p> <p>5a. Baptizatur,<br/>Ordinatur,<br/>Ad levitae<br/>Gradum vitae<br/>Meritis Hilarius</p> <p>6a. Baptizandum catechizat,<br/>Sed perventum non baptizat,<br/>Dum abest per triduum;</p> <p>7a. Importune servus unus<br/>Sibi fune fecit funus,<br/>Martinum turba flagitat,<br/>Martinus illum suscitatur.</p> <p>8a. Quidam dictus est defensor,<br/>Personarum extra mensor,<br/>Forma vilem et exilem<br/>Hunc indignum adstruit.</p> <p>9a. Tu destructor defensoris,<br/>A flagello destructoris<br/>Nos defendas<br/>Et impendas<br/>Gratiae solatia.</p> | <p>3b. Vitae virtus inclitae<br/>Monachum in milite<br/>Exhibet emeritum.</p> <p>4b. Pallii dimidio<br/>Tectus in vicario<br/>Laudat catechuminum<br/>Christus ore proprio.</p> <p>5b. Hunc invitat,<br/>Sed hoc vitat,<br/>Nam laboris<br/>Quam honoris<br/>Onus ei gratius.</p> <p>6b. Redit, plorat, gemit, orat,<br/>Prece fusa mors confusa<br/>Vitae reddit mortuum.</p> <p>7b. Tantis signis vir insignis<br/>In pastorem ad amorem<br/>Cleri, plebis eligitur,<br/>Fugit, invitatus rapitur.</p> <p>8b. Lector abest, causa morae<br/>Puer legit pro lectore<br/>Et perversum hunc ex ore<br/>Hunc per versum destruit:</p> <p>9b. Tanti patris assecuti<br/>Patronatum simus tuti,<br/>Ut saluti<br/>Restituti<br/>Laetemur in gloria.</p> |
|---|---|

Miss. ms. S. Martini de Campis anni 1408. Cod. Mazarin. 416 (235)  
A. — Miss. Majoris Monasterii imp. s. l. et a. B. — Miss. Cluniacense imp.  
Parisiis 1550. Appendix pro prioratu S. Martini de Campis. C. — Mel. offen-  
bar: Mane prima Sabbati. — 1, 1 In Martini A. — 2b, 2 Culpae sit B. —  
6b, 1 gemit qua dat A; quam dat C. — 8a, 2 mensor C.

### 250. De sancto Mauro.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Mauri patris memoria</p> <p>2a. Tua, pater, clementia</p> <p>3a. Conregnans Christo Domino<br/>Jam vivis sine termino.</p> <p>4a. O Maure, tua gratia<br/>Nostra pellat flagitia.</p> | <p>1b. Celebretur cum gloria.</p> <p>2b. Audi nostra praeconia.</p> <p>3b. In hoc mortis ergastulo<br/>Subveni Dei populo.</p> <p>4b. Bone pastor, prece pia<br/>Da nobis vitae gaudia.</p> |
|--|---|

Miss. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060.

251. De sancto Mauro.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Maurus pater inclitus<br>Adsit nobis coelitus<br>Vitae dans solatium, | 1 b. Qui calcavit penitus<br>Hic in carne positus<br>Omne mundi gaudium.     |
| 2 a. Hic de claro semine,<br>Flos de pulchro germine<br>Senatorum prodiit, | 2 b. Duodennem puerum<br>Sanctus pater tenerum<br>Benedictus nutriit.        |
| 3 a. Carnis domat vitia<br>Florens pudicitia,<br>Fide, vita, moribus;      | 3 b. Sic patris vestigia<br>Semper sequens praevia<br>Refulget virtutibus.   |
| 4 a. Hujus ab imperio<br>Presso pede fluvio<br>Mersum salvat Placidum;     | 4 b. Claudis recte pergere,<br>Loqui mutis, cernere<br>Caeco dedit lucidum.  |
| 5 a. Tribus vitam mortuis,<br>Aegris atque fatuis<br>Sanitatem praebuit;   | 5 b. His virtutum floribus<br>Vernans coeli civibus<br>Digne jungi meruit.   |
| 6 a. Jam fulgens in gloria<br>Tua, Maure, gratia<br>Nos infunde jugiter,   | 6 b. Nostra rege tempora,<br>Nostra serva corpora,<br>Mentes, corda pariter; |
| 7. Ut post mortis tristia<br>In superna curia<br>Vivamus perenniter.       |  |

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060. — Mel. vielleicht:  
Veni sancte spiritus unter Wiederholung von Choral 4 und 5.

252. De sancto Mauro.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Laetabundus<br>decantet fidelis coetus<br>Alleluja;                                   | 1 b. Sanctus Maurus<br>ad coelos ascendit laetus,<br>Res miranda.                                  |
| 2 a. Mente datus humili,<br>Stirpe fulsit nobili,<br>Sol de stella;                        | 2 b. Cujus carnem puritas,<br>Cor ornavit pietas<br>Semper clara.                                  |
| 3 a. Sicut Petrus liquido<br>Currit pede solido<br>Pari forma,                             | 3 b. Nec pes ejus fluvio,<br>Nec mens ob hoc vitio<br>Fit corrupta.                                |
| 4 a. Aegris opem contulit<br>Et languorem expulit<br>Valle nostra,                         | 4 b. Tres a morte liberat,<br>Quos haec sibi traxerat<br>Carne sumpta.                             |
| 5 a. Sic in mundo claruit,<br>Cujus clara respuit,<br>Quae scriptura docuit<br>Esse caeca. | 5 b. Jam cum sanctis omnibus<br>Regnat in coelestibus,<br>Qui complevit actibus<br>Haec praedicta. |

- |   |   |
|---|---|
| <p>6 a. Infelix propera,<br/>Maurum considera,<br/>Hunc sequi stude,<br/>gens misera.</p> | <p>6 b. Quae docet litera,<br/>Fac bona opera,<br/>Quo duce vivas<br/>in aethera.</p> |
|---|---|

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060. A. — Miss. ms. Fossatense saec. 14/15. Cod. Parisiens. 12061. B. — 6 b, 2 Bona fac opera B.

### 253. De sancto Mauro.

#### 1. Beata nobis gaudia dent Mauri solemnna,

- |   |   |
|---|---|
| <p>2 a. Cujus laus eximia<br/>Fulget in ecclesia<br/>Per orbis omnia.<br/>Confinia.</p>                         | <p>2 b. Tanti patris gratia<br/>Nostra pellat vitia<br/>Collata venia<br/>Prece pia.</p>                          |
| <p>3 a. Dic nunc harmonia<br/>Concordi melodia:<br/>En Maurus luce socia<br/>Conscendit ad regna coelestia.</p> | <p>3 b. Angelus dulcisa<br/>Haec praedixit nuntia:<br/>In coeli gaudet curia<br/>De mundi sic raptus malitia.</p> |
| <p>4 a. Ergo laudum praeconia<br/>Canamus eia<br/>Per haec sacrata jam festalia.</p>                            | <p>4 b. Sancti Mauri vestigia<br/>Sequamur praevia,<br/>Cujus nos regant patrocina.</p>                           |

Miss. ms. Fossatense saec. 14. Cod. Parisiens. 12060. Mel. wohl: Victimae paschali laudes.

### 254. De sancto Melanio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1 a. Nostri patris et pastoris,<br/>Melanii confessoris,<br/>Dignas laudes cordis, oris<br/>Nostra pangat concio;</p> | <p>1 b. Sanctitatem cujus signa<br/>Plura signant, cum his signa<br/>Circa corpus thura digna<br/>Coelesti mysterio.</p> |
| <p>2 a. Virgo mirae sanctitatis,<br/>Pater magnae pietatis,<br/>Jugis custos honestatis<br/>Mundo, Deo placuit;</p>      | <p>2 b. Vitam duxit monachalem,<br/>Nactus sedem cathedralem,<br/>Gerens curam pastoraalem<br/>Vita, verbo docuit.</p>   |
| <p>3 a. Hunc vocavit rex Francorum,<br/>Per quem status clericorum<br/>Restauratur, idolorum<br/>Evanescit vanitas;</p>  | <p>3 b. Christi cultus ampliatur,<br/>Fides nostra roboratur,<br/>Divulgata condemnatur<br/>Haeretica pravitas.</p>      |
| <p>4 a. Evae morbus dissipatur,<br/>Paraliticus curatur<br/>Monachusque liberatur<br/>Expulso daemonio;</p>              | <p>4 b. Prope mortem infirmatus<br/>Per hunc puer est sanatus<br/>Et contractus relevatus<br/>Curato Syagrrio.</p>       |
| <p>5 a. A defunctis revocavit<br/>Hunc, quem daemon suffocavit,<br/>Gentes multas baptizavit<br/>Ad istud indicium;</p>  | <p>5 b. Sanctus morsum a serpente<br/>Liberavit et repente<br/>Medicina nil valente<br/>Curat Eusebium.</p>              |

- |   |  |
|---|--|
| <p>6 a. Propter vatem rex laetatur,<br/>Aqua Satan effugatur,<br/>Pari cura recreatur<br/>Virgo quaedam alia</p> <p>7 a. Sancti plures et praelati<br/>Sunt a Deo ad beati<br/>Exsequias destinati<br/>Praestantes obsequia;</p> <p>8 a. Propter plura malefacta<br/>Vincti fures prece facta<br/>Evasere turri fracta,<br/>Et fiunt rupta vincula;</p> <p>9 a. Curans caecos, surdos, mutos,<br/>Quavis parte destitutos,<br/>Qui das vitae morti datos,<br/>Qui dissolvit catenatos<br/>Expellens daemonia;</p> | <p>6 b. Aede sacra, quam fundavit;<br/>Longe ante quam notavit,<br/>Ista die evolavit<br/>Ad coeli palatia.</p> <p>7 b. Ad urbem, quam ante rexit,<br/>Christo duce navis vexit<br/>Clerum, corpus et reflexit<br/>Cursum Vicenonia.</p> <p>8 b. Ad sepulchrum jam delatus<br/>Vivit puer matri datus,<br/>Ecce visus est donatus<br/>Mox post pedum oscula.</p> <p>9 b. Fac, precamur, tua prece,<br/>Ut peccati pulsa faece<br/>Post labentis vitae cursum<br/>Gloriemur rapti sursum<br/>In perenni gratia.</p> |
|---|--|
- Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098. — Zu 4 a, 1 und 4 b, 4 cfr. Acta SS. Jan. I p. 330.

255. De sancto Nicolao.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1 a. Christo regi cantica<br/>Vocum per discrimina<br/>Eja pangat musica.</p> <p>2 a. Qui replevit maxima<br/>Nicolauum gratia<br/>Strictum adhuc fascia.</p> <p>3 a. Felix pueritia<br/>Senectutis opera<br/>Gessit facti nescia.</p> <p>4 a. Patris fugat crimina<br/>Dantis prae inopia<br/>Scortum fore filias.</p> <p>5 a. Haec inter opuscula<br/>Sumpsit voce coelica<br/>Praesulatus culmina.</p> <p>6 a. Cujus per miracula<br/>Bina bis per climata<br/>Pollens satis rutilas.</p> <p>7 a. Plebem fame tabidam<br/>Verbo, cibo sublevat<br/>Per frumenta praestita,</p> <p>8 a. Solvit maleficia<br/>Medens aconitida,<br/>Quae Diana finxerat;</p> | <p>1 b. Cujus ex potentia<br/>Prodeunt miracula<br/>Sibi non insolita.</p> <p>2 b. Nam inter crepundia<br/>Quarta, sexta feria<br/>Semel suxit ubera.</p> <p>3 b. O beata parcatas,<br/>Quae virtutum culmina<br/>Nicolai nuntias.</p> <p>4 b. Quas vir Dei miserans<br/>Auri dando pondera<br/>Traxit ab infamia.</p> <p>5 b. O Myrrea civitas,<br/>Felix es in saecula,<br/>Tanto patre praedita.</p> <p>6 b. Nautas namque liberat,<br/>Quos tempestas valida<br/>Quassans paene merserat.</p> <p>7 b. Quae mensura propria<br/>Dantibus in patria<br/>Sunt reperta integra.</p> <p>8 b. Milites per somnia<br/>Minitando plurima<br/>Jugulari improbat.</p> |
|--|---|

- |  |   |
|--|---|
| <p>9a. Puerum cum situla<br/>Notum facta aurea<br/>Mersum servat ab unda.</p> <p>10a. Plura sunt insignia<br/>Fide gesta vivida,<br/>Quam referri valeant.</p> <p>11a. Cujus tumba desudat<br/>Oleum, quod morbida<br/>Membra reddit vivida.</p> | <p>9b. Latrones exterritat,<br/>Ut sublata referant,<br/>Unde sumpta fuerant.</p> <p>10b. Quae per eum gratia<br/>Vivum gessit supera,<br/>Gessit et post funera.</p> <p>11b. Morte cuius inclita<br/>Dies haec tripudiat<br/>Anni per curricula.</p> |
|--|---|

12. Ipse nobis conferat  
Per sua suffragia  
Sempiterna gaudia.

Trop. ms. S. Ebrulphi saec. 12. Cod. Parisiens. 10508. A. — Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 903. B. — 2b, 2 Quarta et sexta A. — 4a, 2 per inopiam A. — 6b, 1 Natus A. — 8a, 2 Media conitida A. — 8b lautet in B:

Juvenes immeritos  
Subire pericula  
Necis prudens liberat;

spättere Korrektur, wie die geopferte Endassonanz beweist. — 9a, 2 Votum A. — 10b, 1 per eum merita B.

### 256. De sancta Odilia.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Virgo mater Salvatoris,<br/>Incorrupta vi pudoris<br/>Produxisti speculum,</p> <p>2a. Inde multos illustrasti<br/>Microcosmos, quam creasti<br/>Caecam, per Odiliam,</p> <p>3a. Extra terram destinatur,<br/>Ab Erhardo baptizatur<br/>Et repletur gratia,</p> <p>4a. Vernans tali flore grato<br/>Castitate decorato<br/>Nutrit hanc Bavaria,</p> <p>5a. Haec est illa, quae cassavit<br/>Maximam hanc et probavit<br/>Minime veridicam,</p> <p>6a. Haec praedigna ducens signa<br/>Spernens semper et maligna<br/>Vehitur in patriam,</p> <p>7a. Vitam ejus nam spernebat<br/>Pater, tumens cor levabat<br/>Baculum exitii,</p> | <p>1b. Cujus diaphanitate<br/>Nec non mira claritate<br/>Illustratum saeculum.</p> <p>2b. Patris fide separatam,<br/>Cura matris reservatam<br/>Diligentis filiam.</p> <p>3b. Reformatur vis visura,<br/>Deo dante regressura<br/>Plaudet tunc Alsatia.</p> <p>4b. Ibi crescens in virtute<br/>Replens terramque salute<br/>Dogmata per varia.</p> <p>5b. Dialecticae privata<br/>Quae fatetur non renata<br/>Monstrans hanc per physi-<br/>cam.</p> <p>6b. O quam in terra res praedira<br/>Frater obit patris ira<br/>Sibique dat obviam.</p> <p>7b. Caedens eum violenta<br/>Manu mente non retenta<br/>Complet opus vitii.</p> |
|--|--|

- 8a. Soror videns fratris mortem  
Lacrimosam plorans sortem  
Patris moesta crimine,  
Miss. Misnense imp. Lipsiae 1511.
- 8b. Delens prece patris noxam  
Nobis impetretque doxam,  
Coeli claudi lumine.

257. De sancta Osmana.

- 1a. Plebs fidelis jubila,  
Longe pellens nubila  
Sordis et spurcitiae,
- 2a. Coelestibus flosculis  
Vernans a cunabulis  
Hausit virgo gratiam,
- 3a. Sponsa Christi sedula,  
Sanctitatis aemula,  
Spe perennis gloriae
- 4a. Dum se Christo dedicat,  
Splendor lucis emicat  
Jubar gerens saeculo,
- 5a. Signis jam non infimis  
Efulgens quam plurimis  
Scandit coeli thalamum,
- 1b. Fulget in ecclesia  
Stella stillans dulcia,  
Osmana, flos gratiae.
- 2b. Sacrae manens indolis  
Reliquit cum idolis  
Parentes et patriam.
- 3b. Sola cum ancillula  
Stricta vixit cellula  
Finibus Britanniae.
- 4b. Venator hanc indicat,  
Dum salvatum praedicat  
Aprum a venabulo.
- 5b. Unde mittat intimis  
Nostri coetus animis  
Charismatis balsamum.

Miss. ms. S. Dionysii saec. 14. Cod. Parisiens. 1107. Mit Mel.: Ave virgo virginum.

258. De sancto Ottone.

- 1a. Gratulare, sponsa Christi,  
Quae per fidem genuisti  
Virum tanti nominis,
- 2a. Plaudite manu, voce clama,  
Antistitis per te fama  
Crescat et memoria;
- 3a. Vita cujus et doctrina  
Quasi stella matutina  
Lucet in perpetuum;
- 4a. Auro fecit effulgere  
Vasa templi, quae fuere  
Vasa contumeliae,
- 5a. Non in vase nec sub lecto  
Constituta sed in tecto  
Procul sparsit radios;
- 6a. Ecce Joseph fortunatus,  
Vir accrescens et probatus  
In conspectu principis;
- 1b. In quo pater gloriatur  
Et virtutes operatur,  
Gaude, mater nobilis.
- 2b. Crevit enim ante Deum,  
Qui beatum fecit eum  
In coelesti gloria.
- 3b. Per te flagrat haec lucerna,  
Praebens iter ad superna,  
Deus exercituum.
- 4b. Dum convertit ab errore  
Pommeranos et squalore  
Gentilis perfidiae.
- 5b. Caritate rutilabat,  
Veritate fulminabat  
Terrens adversarios.
- 6b. Hic aperte declaratur,  
Qua virtute dirigatur  
Via viri simplicis.



- |  |   |
|--|---|
| <p>7a. Otto, prudens et fidelis<br/>Dispensator qui in caelis<br/>Certo gaudes titulo,</p> <p>8a. Praebe pias, pater, aures,<br/>Qualescunque sume laudes,<br/>Doctor celeberrime;</p> | <p>7b. Ibi fruens coelibatu<br/>Nos absolvas a reatu<br/>Mortis et periculo.</p> <p>8b. Funde preces apud Christum,<br/>Ut instauret chorum istum<br/>Paci saluberrime.</p> |
|--|---|

Miss. sec. notulam Dominorum Theutonicorum imp. Nurembergae s. a.  
A. — Miss. Misnense imp. Lipsiae 1511 B. — 7b, 1 frueris B.

259. De sancto Pancratio.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Honoremus hodiernum<br/>Diem, regnum quo supernum<br/>Petiit Pancratius,</p> <p>2a. De Trojanis ortum duxit,<br/>Cujus vita mundo luxit<br/>Ex patre Clodoveo;</p> <p>3a. Manens Romae paucis annis<br/>Fidem spretam a tyrannis<br/>Capit ab Eusebio,</p> <p>4a. Fide Christi confirmatus<br/>Fert per mortis cruciatus<br/>Ultro se martyrio,</p> <p>5a. Cruor postquam funditur,<br/>Scrobe corpus conditur,<br/>Octovillam nuntius<br/>Dei spondet citius<br/>Peste liberari.</p> <p>6a. Terrae corpus commendatur,<br/>Ubi Petrus memoratur<br/>Latusse cedula,</p> <p>7a. Ecclesiam cereis,<br/>Vasis ditat aureis<br/>Suam vir insignis.</p> <p>8a. Mortem viro proximam<br/>Qui videbat animam<br/>Divitis monstravit,</p> <p>9a. Hic puellam suscitavit,<br/>Quam mors dira subjugavit<br/>Missione tunicae;</p> <p>10a. Furtum Petri dum rinatur<br/>Rex Francorum, sciri datur<br/>Per sanctum Pancratium,</p> | <p>1b. Solis veri coetu junctus<br/>Et sanctorum laude functus<br/>Perenni sacratius.</p> <p>2b. Obit pater, cujus rerum<br/>Hunc haeredem fecit verum<br/>Hinc cum Dionysio.</p> <p>3b. Eruditus verbis sacris<br/>Fontis datur post lavacris<br/>A papa Cornelio.</p> <p>4b. Egit Diocletianus<br/>Nil cum verbis, hunc insanus<br/>Caedi jubet gladio.</p> <p>5b. Inquirat Hilarium,<br/>Novisset martyrimum<br/>Si quem passum pridie<br/>Sub rege perfidiae,<br/>Vult hunc tumulari.</p> <p>6b. Quo in loco sancti multi<br/>Digno satis sunt sepulti<br/>Quisque suo tumulo.</p> <p>7b. Spiritibus animum<br/>Hujus morti traditum<br/>Aufert hic malignis.</p> <p>8b. Et confractum puerum<br/>Rota membris tenerum<br/>Vitae revocavit.</p> <p>9b. Deploraret cum tribunus<br/>Desperatum natae funus<br/>Vitam donat unicae.</p> <p>10b. Jusjurandum in altari<br/>Fur dum jurat, aridari<br/>Suum sensit brachium.</p> |
|--|--|

- |   |   |
|---|---|
| <p>11a. Viso signo condemnatur<br/>Fur, per regem veneratur<br/>Sanctus cum muneribus</p> <p>12a. Per tres dies in ardore<br/>Stillat caput cum cruore<br/>Mirandum spectaculum,</p> <p>13a. Per tot signa sublimatus<br/>Coelo fulget honoratus<br/>Perenni memoria.</p> | <p>11b. Jugo pressi boves cadunt,<br/>Salvis membris sed evadunt<br/>Plaustri cum oneribus.</p> <p>12b. Templum Romae Lateranum<br/>Dum crematur per profanum<br/>Barbarorum populum.</p> <p>13b. Adsis nobis, o Pancrati,<br/>Ut in coelo Christo grati<br/>Collocemur gloria.</p> |
|---|---|

Miss. Trajectense imp. Antweripae 1540.

260. De s. Paulo Eremita.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Vitis palmes exstas verae,<br/>Vitae palmam qui sincere<br/>Cunctis praetulisti ;</p> <p>2a. O Paule, aula coeli situs,<br/>Desertae per te vitae ritus<br/>Inchoatur primitus,</p> <p>3a. Dignis digne dignum<br/>Nobis iter signum<br/>Datur per Antonium,</p> <p>4a. Amborum maceratis<br/>Genibus prostratis<br/>Se convenerantes<br/>Signum pacis dantes.</p> <p>5a. Visu cordis erecti<br/>Admirantes dilecti<br/>Donum, quod clarescit.</p> <p>6a. Sanctam post collationem<br/>Factam et orationem<br/>Antonio meante<br/>Pauloque Vale dante<br/>Petit assueta atria.</p> <p>7a. Vestigia replicans,<br/>Fumus agonizati<br/>Humare desiderans,<br/>Sed virtus fatigati<br/>Succumbit in labore.</p> <p>8a. Veste palmarum<br/>foliis connexa,<br/>Qua tegebatur<br/>inclitus, complexa.<br/>Antonius solemnibus<br/>Hac utebatur laudibus.</p> | <p>1b. Eremizans filiorum<br/>Clarum sidus, iter morum<br/>Pater exstitisti.</p> <p>2b. Cui junctus, unctus fruebaris,<br/>Hosanna, manna gratularis<br/>Imbui divinitus.</p> <p>3b. Qui quaerit benignum,<br/>Cujus laude dignum<br/>Canamus praeconium.</p> <p>4b. Exhausti vi frugali<br/>Refecti vitali<br/>Pane Deo dante,<br/>Corvo ministrante,</p> <p>5b. O dulce convivium,<br/>Quo deserti civium<br/>Mens pia pinguescit.</p> <p>6b. Sic dum cellae confinia<br/>Adiret, in sublimia<br/>Cernit patris beati<br/>Mentem inthronizati<br/>Tolli polorum atria.</p> <p>7b. Leonum suffragio<br/>Laetatur sibi juncto,<br/>Qui sine contagio<br/>Obsequuntur defuncto<br/>Sepulto miro more.</p> <p>8b. Catervam tui<br/>nominis gregatam<br/>Conserva in hoc<br/>statu illibatam,<br/>O pater, tuis precibus<br/>Nos junge coeli civibus.</p> |
|---|--|

Miss. ms. Paulinorum saec. 14. Cod. Gottwicens 79. A. — Miss. Paulinorum imp. Venetiis 1537. B. — 4a, 2 prostrati B. — 5a, 1 Nisu cordis B.

261. In Conversione s. Pauli.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Sonent plausus laetabundi,<br>Plausus dulces et jucundi<br>Virginis ecclesiae,            | 1b. Agnum enim de leone<br>Et pastorem de praedone<br>Christus fecit hodie.           |
| 2a. Admiranda redemptoris,<br>Praedicanda salvatoris<br>Virtus et clementia,                  | 2b. Hunc agnorum fecit ducem,<br>Qui parabat agnis crucem<br>Et mortis supplicia.     |
| 3a. Spina, cui suas vestes<br>Affixere falsi testes<br>Et lictores Stephani,                  | 3b. Jam columna templi viva,<br>Palma, vitis et oliva<br>Cedros aequat Libani.        |
| 4a. Mansuescit lupus rapax<br>Et fit agnus et vas capax<br>Olei laetitiae,                    | 4b. Vas illimi plenum auro,<br>Plenum gemmis et thesauro<br>Verae sapientiae.         |
| 5a. In hoc vase reponuntur,<br>Hac in arca recluduntur<br>Secreta coelestia,                  | 5b. Hic abyssus abyssorum<br>Et hic coeli sunt coelorum,<br>Cuncta quoque media.      |
| 6a. Saulus, hoc vas tam prae-<br>clarum,<br>Caedis adhuc et minarum<br>Spirans in discipulos, | 6b. Ut inferret necem eis,<br><br>Ibat missus a Judaeis<br>Per urbes et populos.      |
| 7a. Ecce venit vox de sursum,<br>Quae divertit lupi cursum<br>A mactandis ovibus:             | 7b. Saule, quid me crucifigis,<br>Quid me mactas et affligis<br>In meis fidelibus?    |
| 8a. Ad hanc vocem exturbatus<br>Et ad humum jam prostratus:<br>Quisnam, inquit, loqueris?     | 8b. Ego Jesus Nazarenus,<br>Quem tu ferox et effrenus<br>In membris persequeris.      |
| 9a. Durum tibi calcitrare,<br>Durum tibi repugnare,<br>Saule, contra stimulum;                | 9b. Resipiscens esto fortis,<br>Nam oportet pro me mortis<br>Te gustare poculum.      |
| 10a. Delegatur Ananias<br>Ad monstrandum Paulo vias<br>Et calles justitiae;                   | 10b. Pulsa nube falsitatis,<br>Sumpta luce veritatis<br>Fit doctor ecclesiae.         |
| 11a. Verbum Dei jussus ferre<br>Perlustrabat orbem terrae,<br>Convertit Ephesios,             | 11b. Thessalonas, Philippenses,<br>Philadelphos, Colossenes,<br>Galathas, Corinthios. |
| 12a. Hinc descendens ad Romanos,<br>Impugnando ritus vanos<br>Per fidem catholicam            | 12b. Petro junctus in agone,<br>Mortem passus sub Nerone,<br>Arcem intrat coelicam.   |
| 13a. Ergo cuncti gratulemur<br>Et hunc diem veneremur<br>Ob Pauli memoriam,                   | 13b. Ut nos Christus sua prece<br>Emundatos omni faece<br>Perducat ad gloriam.        |

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. Cod. Parisiens. 778. A. — Miss. ms. Strigoniense? saec. 14. Cod. Musaei Hungarici 94. B. — Miss. ms. Strigoniense? saec. 15. Cod. Musaei Hungarici 222. C. — Miss. Dominorum Ultramontanorum imp. Veronae 1480. D. — Miss. Eremitarum divi Pauli imp. Venetiis 1537. E. — 1b, 2 In pastorem BC. — 2a, 1 sqq. fehlt BC. — 3a, 1 Praedo cui suas BC. — 4b lautet in BC:

Ex Benjamin sumptum sacro

Vas celatum ex argento

Regis ministerio.

7b, 1 Saule, cur me BC. — 7b, 2 Cur me mactas BC. — 8a, 1 est turbatus BC. — 9a, 1 repugnare BC. — 9a, 2 calcitrare BC. — 9b, 1 Resipiscas BC. — 12a, 1 discedens BC. — 12b, 1 vinctus C. — Str. 13a und 13b lauten in BC:

13a. Pelle nubem falsitatis,  
Redde lucem veritatis,  
Paule, nostris cordibus.

13b. Sis protector, sis defensor,  
Tuo gregi sis praecessor  
Ad coelestem patriam.

### 262. In Conversione s. Pauli.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Ad honorem<br>regis justitiae<br>Gratuletur<br>matris ecclesiae<br>Devotio.          | 1b. Paulus nobis<br>fit vox laetitiae,<br>Cujus reis<br>reddit spem veniae<br>Conversio.               |
| 2a. Synagogae<br>Saulus obsequitur,<br>Instat, furit<br>atque persequitur<br>Servos Dei. | 2b. Dum velamen<br>observat literae,<br>In hoc laudant,<br>quod agit temere,<br>Pharisaei.             |
| 3a. Putans legis<br>tenere stadium<br>Vindicare<br>vult sibi bravium<br>Cursu caeco.     | 3b. Sic dum cursum<br>transcurrit sceleris,<br>Clamat: Saule<br>quid me persequeris,<br>Summus praeco. |
| 4a. Clamat pater<br>misericordiae,<br>Sic confringit<br>vas contumeliae,<br>Vas erroris. | 4b. Jesus noster<br>vas frangit luteum,<br>De fragmentis<br>vas reddit aureum,<br>Vas honoris.         |
| 5a. Saulus cadit,<br>Paulus erigitur,<br>Novus homo<br>consciens nascitur<br>Angelorum.  | 5b. Sensum Sauli<br>Christus excarcerat,<br>Fit dux Christi,<br>qui prius fuerat<br>Dux malorum.       |
| 6a. Persecutor<br>Christi fidelium<br>Jam respirat<br>ad evangelium<br>Doctor verus.     | 6b. Visu clauso<br>carnalis hominis<br>Soporatur<br>gremio virginis<br>Rhinocerus.                     |

- |  |   |
|--|---|
| <p>7a. Ananiae<br/>             domo recipitur,<br/>         Squammae cadunt<br/>             et lumen redditur<br/>             Oculorum.</p> <p>8a. Synagogae<br/>             sic ritum abdicat,<br/>         Christum colit,<br/>             quem natum praedicat<br/>             Ex Maria.</p> <p>9a. Paulus magis<br/>             instat et instruit,<br/>         Opportune<br/>             obsecrat, arguit,<br/>             Importune,</p> <p>10a. Fame, siti,<br/>             verbere, vinculis<br/>         Affligitur,<br/>             sed tot periculis<br/>             Stat securus.</p> <p>11a. Ergo, Paule,<br/>             doctor egregie.<br/>         Qui pro regno<br/>             coelestis patriae<br/>             Sic vicisti,</p> | <p>7b. Veritatis<br/>             dum lumen recipit,<br/>         Confortatur<br/>             et cultum despiciet<br/>             Judaeorum.</p> <p>8b. Sed non credit<br/>             gens implacabilis,<br/>         Quam obfuscatur<br/>             indissolubilis<br/>             Versutia.</p> <p>9b. Ut de malis<br/>             electos pariat,<br/>         Crucifixi<br/>             regnum pronuntiat<br/>             Non commune.</p> <p>10b. Sic pro Christo<br/>             capite plectitur,<br/>         Pro sanguine<br/>             lactis elicitur<br/>             Liquor purus.</p> <p>11b. Servos tuos<br/>             in hac miseria<br/>         Laborantes<br/>             dignos fac gratia<br/>             Jesu Christi.</p> |
|--|---|

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101. Mit Mel.

### 263. De sancto Paxentio.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1a. Christo laudes haec caterva<br/>             nunc personet<br/>             cum dulci melodia,</p> <p>2a. Dies namque adest, in qua<br/>             olim dira pertulit<br/>             pro Christo supplicia</p> <p>3a. Haec sunt genera<br/>             tormentorum<br/>             saeva, quae pertulit<br/>             fortis athleta:</p> <p>4a. Et pondera ferri,<br/>             quae facta<br/>             sunt ut cera liquida,</p> <p>5a. Luce remota<br/>             linguaque abscissa,<br/>             mente robusta,</p> | <p>1b. Celebrando solemnia<br/>             Paxentii,<br/>             quae stat cunctis annua.</p> <p>2b. Et ad beata transivit<br/>             regna, quem Christus mira<br/>             coronavit gloria.</p> <p>3b. Flammas, verbera<br/>             asperrima<br/>             ferasque, carceris<br/>             antra turbida,</p> <p>4b. Acutique ferri<br/>             fixuram,<br/>             et si quae sunt plurima.</p> <p>5b. Voce jucunda<br/>             ait contemnendo<br/>             jussa regia:</p> |
|---|--|

- |   |   |
|---|---|
| <p>6a. Tu, inquit, o inique,<br/>devictus quaenam ultra<br/>poteris<br/>submittere<br/>mihi tormenta?</p> <p>7a. Percussus visa est<br/>ut columba<br/>ejus anima</p> <p>8a. In quibus felix<br/>nunc gaudens regnat<br/>et refulget in aeternum<br/>luce perpetua.</p> <p>9a. Quo laetantes una secum<br/>per secula decantemus<br/>voce clara Alleluja.</p> | <p>6b. Non in me quaeras posse<br/>habere, si non ita<br/>feceris,<br/>quod ex ense<br/>peream vita.</p> <p>7b. Pergere beata<br/>ad aeterna<br/>coeli gaudia.</p> <p>8b. Cujus, o Christe,<br/>prece benigna<br/>servos tuos in celsam<br/>duc coeli patriam.</p> <p>9b. Molestia nec lacrima<br/>invenietur in illa,<br/>pax in ea erit summa,</p> <p>10. Et jucunditas aeterna;<br/>hanc cingant cuncta<br/>creata atque renata.</p> |
|---|---|

Miss. Cluniacense imp. Parisiis 1550. Appendix pro prioratu S. Martini de Campis. — 8a, 1 nunc felix.

#### 264. De sancto Petro.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Petro psallat laetabundus<br/>Noster coetus et jucundus<br/>Prorumpat in gaudium,</p> <p>2a. Psallat voce plebs jucunda,<br/>Gens a faece mundi munda<br/>Exsultet in gloria;</p> <p>3a. Post accepta Christi dona<br/>In mandata Christi prona<br/>Dispergantur agmina,</p> <p>4a. Prius πόλις plena dolis<br/>Christum pura mente colis<br/>Patroni praeconio,</p> <p>5a. Plebs fidelis veneratur<br/>Petrum, Simon cruciatur<br/>Livoris incendio,</p> <p>6a. Sed ad saxum fractis costis<br/>Prece Petri ruit hostis,<br/>Dira fugit legio;</p> <p>7a. Dirae spernens jura mortis<br/>Petrus gaudet victor fortis<br/>Crucis in patibulo;</p> | <p>1b. Nostris chori dulce melos<br/>Laude digna pulset caelos<br/>Petri pro victoria.</p> <p>2b. Laudes pandat vox sonora,<br/>Pangat orbis et canora<br/>Reboet harmonia.</p> <p>3b. Christi donis jam imbutus<br/>Romam Petrus adit tutus,<br/>Cujus delet crimina.</p> <p>4b. Christi cultrix, Roma, gaude<br/>Ac Patroni digna laude<br/>Laetare praesidio.</p> <p>5b. Et oppugnans Petrum magus<br/>Per inane fertur vagus<br/>Daemonum ludibrio.</p> <p>6b. Morte Magi Nero gemit<br/>Ac athletam Christi premit<br/>Crucis in supplicio.</p> <p>7b. Regis minas spernens trucis<br/>Duros premit hostes crucis<br/>Munitus signaculo.</p> |
|--|---|

- |   |   |
|---|---|
| 8a. Quem absolvit verus agnus,<br>Ferus damnat hunc tyrannus<br>Injusto iudicio;        | 8b. Agnum trahunt lupi truces,<br>Tortor dirus parat cruces<br>Neronis imperio.     |
| 9a. Crucem videns salutavit<br>Sic: Crux ave, per quam lavit<br>Christus orbis scelera; | 9b. Olim ara damnatorum,<br>Spes et scala nunc justorum,<br>Crux, salve fructifera. |
| 10a. Crucifixus obit laetus,<br>Desolatus plangit coetus<br>Pro patris absentia,        | 10b. Gratulatur rex insanus<br>Et cum rege dira manus<br>Fera fremunt gaudia.       |
| 11a. Jàm relicta mundi mola<br>De secura certus stola<br>Migrat ad coelestia;           | 11b. O coelestis rector aulae<br>Et cum Petro sancte Paule<br>Nostra dele vitia.    |
12. Nostrum, Petre, salva chorum,  
Sordes tolle delictorum  
Tolle quoque noxia.

Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisiens. 1098. — 5 b, 2 fertur magus.

### 265. De sancto Petro.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Pasce, Petre, oves Christi,<br>Quas in cura suscepisti,<br>Nam a Christo ter audisti,<br>Ut sis pastor ovium. | 1b. Tu es petra fundamenti,<br>Tu columna firmamenti,<br>Firma robur nostrae menti<br>Tuum per praesidium.  |
| 2a. Claves coeli, Petre, geris,<br>Nomen Petri promereris,<br>Dum de Christo confiteris,<br>Quod sit Dei filius.  | 2b. Plenitudo potestatum<br>Tibi datur et est ratum,<br>Quidquid ligas, est ligatum<br>Omni vinclo firmius. |
| 3a. Quidquid solvis, est solutum,<br>Quod tueris, hoc est tutum,<br>Ad solius Dei nutum<br>Frenans moderamina.    | 3b. Ergo nostri miserere<br>Et ope precis sinceræ<br>Solve culpas et tuere<br>Devotorum agmina.             |

Miss. Sleswicense imp. in Sleswic 1486. A. — Miss. Brandenburgense imp. Nurembergæ 1494 B. — Mel. offenbar: Verbum bonum.

### 266. De ss. Petro et Paulo.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Dies ista, dies laeta,<br>Laetos facit absque meta<br>Pro sanctorum gloria.                      |  |
| 2a. Petrus petram sequens Christi,<br>stum,<br>Vilem mundum spernens istum<br>Mundi spernit gaudia. | 2b. Lupus rapax olim Saulus,<br><br>Mitis agnus fit mox Paulus<br>Visitantis gratia. |
| 3a. Firmat gressus Petrus claudi<br>Nec adscribit suae laudi<br>Sed Christi potentiae;              | 3b. Firmat Paulus verbum vitae,<br>Docte docet gentes rite<br>Semitam iustitiae.     |

- |   |  |
|---|--|
| <p>4 a. Aegros umbra Petri sanat,<br/>Ima levat, alta planat<br/>Pastoris officio,</p>                      | <p>4 b. Malesanos Paulus mores<br/>Sanat, pandit fructus, flores<br/>Ex legis commercio.</p> |
| <p>5 a. Damnat Petrus simoniam,<br/>Nam mentitum Ananiam<br/>Neci dat et sociam;</p>                        | <p>5 b. Damnat Paulus caecitate<br/>Magum plenum, pravitate<br/>Suamque malitiam.</p>        |
| <p>6. Cruce Petrus gloriatur,<br/>Ense Paulus coronatur<br/>Corona justitiae;<br/>Rex laudetur gloriae.</p> |  |

Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisiens. 1309.

267. De ss. Petro et Paulo.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Summa summi<br/>luminis lumina,<br/>Alleluja,</p>   |   |
| <p>2 a. Petrus re ac nomine,<br/>Paulus verbi flumine<br/>Tubae movent geminae<br/>Jacob castra.</p>                    | <p>2 b. Jesu comparticipes,<br/>Principum sunt principes<br/>Hi Sion municipes<br/>Super astra.</p>                     |
| <p>3 a. Duces missi ut promissi,<br/>Israeli claves caeli,<br/>Mundo luminaria,</p>                                     | <p>3 b. Sion montes, Helim fontes,<br/>Gemmae regis, manna gregis,<br/>Sponsi duo labia.</p>                            |
| <p>4 a. Olivae gratiae,<br/>Candelabra gemina,</p>  | <p>4 b. Misericordiae<br/>Viri solvunt crimina.</p>   |
| <p>5 a. O patres, o matres,<br/>O pia ubera,<br/>Mundo necessaria.</p>  | <p>5 b. O Petre, o Paule,<br/>Primi elementia,<br/>Nos replete gratia.</p>  |
| <p>6 a. Petre, tuos duc ad petram,<br/>Paule, sedem ad quietam,<br/>Ubi demus<br/>Et cantemus<br/>Cantica continua.</p> | <p>6 b. Petre, vide ut visus es,<br/>Paule, trahe ut tractus es,<br/>Ambo prece<br/>Nos a nece<br/>Rapite perpetua.</p> |
| <p>7. Amen dicant omnia.</p>  |   |

Trop. ms. Martialis Lemovicens. saec. 15. Cod. Parisiens. 1086.

268. De ss. Petro et Paulo.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1 a. Clari duces nostrae spei<br/>Nocti praesunt et diei<br/>Duo luminaria:</p>      | <p>1 b. Petrus diem Judaeorum,<br/>Paulus noctem paganorum<br/>Morum ornant gratia.</p> |
| <p>2 a. Coelum terris patefiat,<br/>Ut sic terris notum fiat<br/>Istorum felicitas,</p> | <p>2 b. Ut mens nostra jucundetur<br/>Et jucunde celebretur<br/>Eorum solemnitas.</p>   |



- |  |  |
|--|--|
| 3a. Super thronum majestatis<br>Igne pleni caritatis<br>Seraphim conjubilant,      | 3b. Senis alis supportati<br>Concinentes trinitati<br>Laudibus invigilant.         |
| 4a. Isti duo sunt olivae,<br>Duae virgae directivae,<br>Duae legis tabulae;        | 4b. Duae tubae resonantes,<br>Duae templum supportantes<br>Columnae non tremulae.  |
| 5a. Signa Petri, Pauli verba<br>Nunquam vicit mens superba<br>Quocunque certamine, | 5b. Petrus jussu magum stravit,<br>Coelos Paulus penetravit<br>Dei raptus flamine. |
| 6a. Demum palmam de Nerone<br>Reportantes in agone<br>Felicis victoriae,           | 6b. Cruce Petrus, Paulus ense<br>Pervenerunt ad immensae<br>Principatum gloriae.   |
| 7a. Horum trahat nos doctrina<br>De terrenis ad divina,<br>De poenis ad praemia,   | 7b. Ut cum ipsis congaudentes<br>Deo semper adhaerentes<br>Laetemur in gloria.     |

Brev. ms. S. Katharinae Nurembergens. saec. 15. Clm. Monacens. 10 079.

A. — Miss. Zagradiense imp. Venetiis 1511. B.

269. In festo s. Petri ad vineula.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Alma virtus salvatoris,<br>Laxa rete piscatoris<br>Ad salvandas animas,     | 1b. Duc ad portum cymbam Petri,<br>Ne demergant fluctus taetri<br>Hanc ad partes infimas. |
| 2a. Hic a petra Petri nomen<br>Est adeptus trahens omen<br>Inde firmi nominis,  | 2b. Christum, verbum incarnatum,<br>Clara voce Dei natum<br>Testatur et hominis.          |
| 3a. Inter primos hunc priorem<br>Ceterisque celsiorem<br>Rex coeli constituit,  | 3b. Claves coeli reserandi<br>Et in terra jus ligandi<br>Solvendique tribuit.             |
| 4a. Caeci, claudi deponuntur<br>In plateis et feruntur<br>Ad Petri praesentiam; | 4b. Quem ancillae vox prostravit,<br>Post furentis non expavit<br>Neronis amentiam.       |
| 5a. Aegros umbra Petri sanat,<br>A tam sancto tanta manat<br>Virtutis potentia. | 5b. Nos illius Petri prece<br>A peccati munda faece,<br>Divina clementia.                 |

Missale Sleswicense imp. in Sleswic 1486. A. — Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. B. — 1b, 1 Tunc ad portam B. — 2a, 3 Idem firmi B. — 2b, 2 Claram B. — 4a, 2 plateis offeruntur B.

270. De sancto Prejecto.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. Gaude prole, Francia,<br>Gaudeat ecclesia<br>Corde, voce, cantibus; | 1b. Prejectus prae nimia<br>Sanctitate praevia<br>Gaudet in coelestibus. |
|---|--|

- |  |  |
|--|--|
| <p>2 a. Speciali gaudio<br/>Gaudet tota regio<br/>Et praesens collegium,</p> <p>3 a. Juxta patrem positus<br/>Profectus, vir inclitus,<br/>In martyrum rutilat,</p> <p>4 a. Hic adhuc infantulus<br/>Christi cultor sedulus,<br/>Verbis ejus credulus,<br/>Ut monstravit opere.</p> <p>5 a. Mundum sprexit, in hoc crevit<br/>Semper virtus et quievit<br/>Ejus sub regimine.</p> <p>6 a. Omne genus paupertatis<br/>Hic immensae caritatis<br/>Suis fovet opibus.</p> <p>7 a. Hunc populum educavit<br/>Et, quod ore praedicavit,<br/>Semper adimplens opere,<br/>Ne possit illud spernere.</p> <p>8 a. Servos serva, regnum rege<br/>Tu, qui cum coelorum rege<br/>Regnas, per quem in saecula<br/>Tot fiunt miracula.</p> | <p>2 b. Majus omni pretio<br/>Cum honore nimio<br/>Habens ejus digitum.</p> <p>3 b. Propter quod praecipue<br/>Locus hic assidue<br/>Christo laetus jubilat.</p> <p>4 b. Sanctitatis aemulus<br/>Caecis fuit oculus,<br/>Claudis spes et baculus<br/>In orbis itinere.</p> <p>5 b. Vulgo carus, malis ferus<br/>Bonis dulcis, non austerus,<br/>Expers omni crimine,</p> <p>6 b. Viduis et peregrinis<br/>Cibos dabat et benignis<br/>Affluens visceribus.</p> <p>7 b. Regnum mundi abjiciens<br/>Et in Franciam transiens<br/>Ibi pro Christo moritur,<br/>Cum quo nunc ipse fruitur.</p> <p>8 b. Caecis visum reddidisti,<br/>Curvos sursum erexisti,<br/>Furiosis praestitisti<br/>Sensum prece sedula.</p> |
|--|--|

Missale speciale Franciscan. saec. 15. Cod. Parisiens. 17313. Mit Mel. =  
Mane prima sabbati.

### 271. De sancta Radegunde.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1 a. Laudat laude speciosa,<br/>qui divina gratia</p> <p>2 a. Atque certa spe contendens<br/>despicit terrestria,</p> <p>3 a. Decor laudis vitae modus,<br/>legis observantia,</p> <p>4 a. Nam ad hoc opitulatur<br/>elegans prudentia</p> <p>5 a. Et quae sua sunt reddendi<br/>singulis justitia,</p> <p>6 a. Omnis aetas et uterque<br/>sexus salutaria</p> <p>7 a. Non conditionem ullam<br/>neque popularia</p> | <p>1 b. Liberatus a reatu<br/>tendit ad coelestia</p> <p>2 b. Quae sub sole vanitatum<br/>vanitas sunt omnia.</p> <p>3 b. Quae virtutum diversarum<br/>fit munificentia.</p> <p>4 b. Et dispensans agendorum<br/>causas temperantia.</p> <p>5 b. Fortitudo resistendi<br/>contra quaeque vitia.</p> <p>6 b. Deo speciosae laudis<br/>offert sacrificia.</p> <p>7 b. Cujusque professionis<br/>respuit officia.</p> |
|---|--|

- |   |   |
|---|---|
| 8a. Nemo prorsus est exceptus<br>ab hac laudis hostia,  | 8b. Qui vel mente legi Dei<br>servit cum fiducia.   |
| 9a. O beata Radegundis,<br>cujus haec solemnia          | 9b. Celebramus, mundi festum<br>ejusque contagia    |
| 10a. Declinavit et probrosae<br>vitae lenocinia,        | 10b. Carnem suam crucifigens<br>cum concupiscentia. |
| 11a. In hac valle lacrimarum<br>cuncta transeuntia      | 11b. Aeternorum caritate<br>reputavit vilia.        |
| 12a. Habens gemitum pro cantu,<br>hymnum in tristitia,  | 12b. Congaudere cum electis<br>meruit in gloria.    |
| 13a. Quo nos quoque festinemus,<br>ut post haec exsilia | 13b. Ipsa interveniente<br>laetemur in patria.      |

Cod. Parisiens. 1146 saec. 12. — Aus dem Mefsformular der Heiligen.

272. De sancto Rainaldo.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Ex radice caritatis,<br>Ex affectu pietatis<br>Concinat ecclesia,                     | 1b. Psallat ore, psallat voto,<br>Recensendo corde toto<br>Reinoldi solemnia.           |
| 2a. Corpus hujus nobis datum<br>Per fideles est allatum<br>Ab urbe Colonia,               | 2b. Interventu spiritali<br>Et ipsius corporali<br>Fruimur praesentia.                  |
| 3a. Hic Heymone patre natus,<br><br>Mundanorum sublimatus<br>Opum affluentia,             | 3b. Christum sequens praecepto-<br>rem,<br>Mundi cordis amatorem,<br>Fugit transitoria. |
| 4a. Mundi pompam abdicavit,<br>Carnis aestum edomavit<br>Jugi parsimonia,                 | 4b. Gradus functus regulari<br>Per virtutum sublimari<br>Meruit insignia.               |
| 5a. Claudos gressu roboravit,<br>Caecis visum restauravit<br>Prece salutifera,            | 5b. Febri morbis imperavit,<br>A defunctis relevavit<br>Vitae reddens mortuum.          |
| 6a. Aegra lues dum grassatur<br>Et afflicta cruciatur<br>Gens Rheno contigua,             | 6b. Per hunc morbo destituti<br>Sunt optatae consecuti<br>Salutis remedia.              |
| 7a. His dum haeres verae lucis<br>Signis claret, Christi crucis<br>In se ferens stigmata, | 7b. Dira morte cruentatus<br>Scandit coelos laureatus<br>Ascensu purpureo.              |
| 8a. O Reinolde gloriose,<br>Tui mortis pretiosae<br>Dulcis est memoria,                   | 8b. Nos a mundi serva malis,<br>Ne nos amor mundialis<br>Mergat in flagitia.            |

- 9a. Una voce, mente pari  
Nos honore singulari  
Te studentes venerari,  
Dum versamur in hoc mari,  
Exhibe suffragia.
- 9b. Ne permittas spe frustrari,  
Quibus potes suffragari,  
Fac nos Christo praesentari,  
Ut hunc tecum contemplari  
Possimus in gloria.

Miss. ms. Sanctae Coronae saec. 14. Cod. Pragens. XIV B 20.

273. De sancto Regulo.

- 1a. Laudes tui praesulis  
Altisonis modulis  
Pange, chorus, inclita;
- 1b. Recolamus pariter  
Recolenda jugiter  
Tanti patris merita.
- 2a. Hic est ille Regulus,  
Cui dedit discipulus  
Fidei primordia;
- 2b. Qui dilectus amplius  
Divina fecundius  
Est perfusus gratia.
- 3a. Romam, caput urbium,  
Quaerens Dionysium  
A Mycenis venerat,
- 3b. Cum quo vel cum ceteris  
Sociis itineris  
Arelaten properat.
- 4a. Ubi pastor residens  
Signum vidit evidens  
De sanctorum gloria,
- 4b. Quemque suo nomine  
Monstrant colla sanguine  
Columbarum varia.
- 5a. Subrogato praesuli  
Curam tradit populi,  
Ut sequatur praevia  
Sanctorum vestigia,
- 5b. Habens desiderium  
Horum per martyrimum  
Mercari consortia  
In coelesti curia.
- 6a. Virga fregit  
Et redegit  
In favillam  
Juxta villam  
Lauram gentis idola,
- 6b. Sic per eum  
Est ad Deum  
Mox conversa  
Universa  
Patriae gens incola.
- 7a. In asellum sancti viri,  
Qua subintret, quaerit diri  
Daemonis astutia,
- 7b. Sed malignum mox fugavit  
Crucis signum, quo signavit  
Pede terram bestia.
- 8a. Fores clausae reserantur  
Et captivi liberantur  
De carceris angustia  
Ad praesulis imperia.
- 8b. Fons e terra salit vivus,  
Cujus large fluens rivus,  
Grata ministrat pocula  
Duratura per saecula.
- 9a. Ora ranis claudit sanctus,  
Uni tamen data cantus  
Est soliti licentia  
Ob facti testimonia.
- 9b. Locum sanctae sepulturae  
Ferae petunt et securae  
Cum populi frequentia  
Veniunt ad solemnia.

- |  |  |
|--|--|
| <p>10 a. Pie pastor, summum regem<br/>Erga tuum placa gregem<br/>Et hunc chorum<br/>Famulorum<br/>Duc ad vitae pascua.</p> | <p>10 b. Offer illi pia vota,<br/>Mente fiunt quae devota,<br/>Ut te duce<br/>Tecum luce<br/>Fruamur perpetua.</p> |
|--|--|

11. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Silvanectense saec. 15. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. fol.

12. — Mel. jedenfalls: Mane prima.

274. De sancto Remigio.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1 a. Laetabundus<br/>Remigio decantet chorus,<br/>Alleluja,</p>                                  | <p>1 b. Regi regum<br/>Fidele qui legit lucrum,<br/>Res miranda.</p>                                   |
| <p>2 a. Per virtutis meritum<br/>Depulit interitum<br/>Voce trina,</p>                              | <p>2 b. Depulit daemonia<br/>Ab obsessis valida.<br/>Vi divina.</p>                                    |
| <p>3 a. Corpora debilia<br/>Sanat per suffragia<br/>Huic concessa.</p>                              | <p>3 b. Non obstabat caecitas<br/>Vis nec imbecillitas<br/>Indefessa.</p>                              |
| <p>4 a. Prophetarum socius,<br/>In miris apostolus,<br/>Valle nostra</p>                            | <p>4 b. Martyrum vestigia<br/>Sequitur per omnia<br/>Carne sumpta.</p>                                 |
| <p>5 a. Leprosos purificat,<br/>Franciam corroborat,<br/>Per fidem quod desinit<br/>Esse caeca.</p> | <p>5 b. Claudis gressum reparat,<br/>Nova mira suscitatur,<br/>Quae colit ecclesia<br/>Fide digna.</p> |
| <p>6 a. O patrone pie,<br/>Plebi miserere,<br/>Duc ad agalmata<br/>Coelestia.</p>                   | <p>6 b. Ubi cum sophia<br/>Laeta symphonia<br/>Decantemus<br/>Alleluja.</p>                            |

Grad. Monasteriens. imp. s. l. et a. — Mel.: Laetabundus.

275. De sancta Scholastica.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. Ave germana<br/>fratris electi,<br/>Ad mundi vana<br/>nesciens flecti.</p>                                 | <p>2 b. Haec transitura<br/>Spernis prudenter,<br/>Et ad mansura<br/>Currens ardentem<br/>Exemplar es hominum.</p> |
| <p>2 a. Annis tennella,<br/>Cana profectu,<br/>Lucens ut stella,<br/>Fervens affectu<br/>Anhelas ad Dominum.</p> |  |

- |  |  |
|--|--|
| <p>3a. Coeli bona quaerens,<br/>In lacrimis serens<br/>Exultando metis;</p> <p>4a. Monstravit haec virtus,<br/>Munditiae myrtus,<br/>Quam Deo placeres,<br/>Dum sic praevaleres<br/>Fratri tam electo.</p> <p>5a. In specie columbae cerneris,<br/>Dum transiens ad coelum ducis<br/>De lacu faecis et miseriae,<br/>Tu nos Dei reforma gratiae</p> <p>6a. Virgo labe carens,<br/>Sponsa Christi clarens<br/>Velut aurora,</p> | <p>3b. Tenes Benedictum<br/>Tempestate victum<br/>Ut a Christo petis.</p> <p>4b. Tu coeli districtrix<br/>Victorisque victrix,<br/>Cum fratrem compellis<br/>Tuo sic procellis<br/>Pernoctare tecto.</p> <p>5b. Inter coeli jam vernans lilia<br/>Tu miseris confer auxilia,<br/>Memor esto germanae sobolis,<br/>Eam prece junge coelicolis.</p> <p>6b. Paradisi civis,<br/>In quo laeta vivis,<br/>Sponsum tuum ora,</p> <p>7. Ut a mundi nos immundo<br/>Pie liberet profundo<br/>Et in luce sedula<br/>Collocet per saecula.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Raigradense  $\frac{D}{K}$  I  $\beta$  2 saec. 12. add. saec. 14. A. — Miss. ms. Superioris Altae saec. 15. Clm. Monac. 9744. B. — Seq. ms. S. Petri Salisburgens. post miss. Roman. imp. Venetiis 1513. C. — 1, 1 Gaude germana C. — 2b, 3 mensura A. — 3a, 3 metens C. — 5b, 4 Et nos prece. B.

### 276. De sancto Sigfrido.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Salve, gemma confessorum,<br/>Vas virtutum, praelatorum<br/>Speculum et gloria;</p> <p>2a. In deserto vastitatis<br/>Hortum plantat voluptatis<br/>Rex misericordiae,</p> <p>3a. Imitator sacram Christi<br/>Viam nobis ostendisti,<br/>Quae ducit ad gaudia,</p> <p>4a. Non est hic in mundo mundus<br/>Neque quem non trahat mundus,<br/>Caro vel daemonia;</p> <p>5a. Nos in hujus vitae via<br/>Ducas, pater, via dia,<br/>Quae ducit ad patriam,</p> | <p>1b. Salve pater orphanorum,<br/>Tu sanctorum doctor morum,<br/>Plenus omni gratia.</p> <p>2b. Noctem fugat tenebrarum<br/>Per Sigfridum sole clarum<br/>Radiante Sueciae.</p> <p>3b. Hanc sequamur te petente,<br/>Ne cum ruit mors, repente<br/>Stringant nos supplicia.</p> <p>4b. Sed qui morbos omnes sanas,<br/>Sana nostras mentes vanas<br/>Procul pellens vitia.</p> <p>5b. Et post statum paupertatis<br/>Mereamur cum beatis<br/>Sempiternam gloriam.</p> |
|--|--|

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 2a, 2 Hortum placet. — 3a, 1 sacra. — 4a, 2 Nec quem non.

277. De sancto Sigismundo.

- |  |  |
|--|--|
| 1a. Verbum Dei, verbum bonum,<br>Mundae rei mundum donum,<br>Summae spei summum bonum,<br>Cuncta laudent saecula.  | 1b. Per quod regis Sigismundi<br>Cordis, oris actus mundi<br>Cursu renascentis mundi<br>Rutilant miracula.   |
| 2a. Natus regis Gundebaudi<br>Coeli regis instat laudi,<br>Restat zabolinae fraudi<br>Cultor innocentiae.          | 2b. Functo patre rex levatur,<br>Sicque suis dominatur,<br>Ut rex mitis videatur<br>Vir mirae clementiae.    |
| 3a. Hostes instant, profugatur,<br>Solo latet, tonsuratur,<br>Dolo tentus trucidatur<br>Mersus luto putei.         | 3b. Signa produnt, translatur,<br>Febris, pestis effugatur,<br>Morbus quilibet curatur<br>Pro virtute fidei. |
| 4a. Martyr Christi, rex insignis,<br>Cum uxore, natis dignis,<br>Victis hostibus malignis<br>Jam tenens coelestia, | 4b. Congaudentes tuis signis<br>Per aquas et aestus ignis<br>Fusis precibus benignis<br>Duc ad refrigeria.   |

Miss. ms. Cremifanense 41 saec. <sup>14/15</sup>. A. — Miss. ms. Cremifanense 339 saec.

15. B. — Miss. ms. Vissegradense VC§ saec. 15. C. — Miss. ms. Capit. Cracoviens. 5 saec. 15. D. — Miss. ms. Stirpinense 3 saec. 15. E. — Miss. sec. notulam Dominorum Teutonicorum imp. Nurembergae 1500. E. — Miss. Cracoviense imp. Maguntiae 1484. G. — Miss. Frisingense imp. 1579. H. — 1a, 2 und 3 umgestellt ABC. — 2b, 3 Ut consul par videatur B. — 3b, 1 translatur A. — Mel. vermutlich: Verbum bonum mit Wiederholung des letzten Choralis.

278. De sancto Sigismundo.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. Clarus dies et decorus<br>Nobis fulsit, psallat chorus<br>Natali concordia,         | 1b. Psallant omnes laetabundi,<br>Ad beati Sigismundi<br>Festiva solemnia.          |
| 2a. Qui secutus Christum, ducem<br>Novum novus miles, crucem<br>Suis figit humeris.     | 2b. Paupertatis intrat scholam<br>Et regalem ponit stolam<br>Spe divini muneris.    |
| 3a. Rex ad bonum animatus,<br>Ut sit regi regum gratus,<br>Thebaeis martyribus          | 3b. Offert pio voto mentis<br>Regnum suum et nongentis<br>Victum parat fratribus.   |
| 4a. Cum vir bonus cedit malis,<br>Super montem Verisalis<br>Struit domicilium,          | 4b. Spernit mundum, sitit Deum,<br>Tandem Deus vocat eum<br>Ad se per martyrium.    |
| 5a. Morti datur, sed post mortem<br>Sanctus in sanctorum sortem<br>Transit Agaunensium, | 5b. Quibus vivus deservivit,<br>Cum his et post mortem vivit<br>In terra viventium. |
| 6a. In qua sanctis adaequatur<br>Et beatus coronatur<br>Martyr cum martyribus,          | 6b. Nec indigne, quia datur,<br>Ut pro Christo patiat,ur,<br>Perfidis tortoribus.   |

- 7 a. Ob quod donis illustratur,      7 b. Nam qui mundus hunc pre-  
Mira quibus operatur                      catur,  
Virtute deifica,                              Votis suis non frustratur  
Per ipsius merita.
- 8 a. Sigismunde, martyr Dei,              8 b. Nos immundos mundi faece  
Ora Deum, ut nos rei                      Duc mundatos tua prece  
Mereamur veniam,                              Ad coelestem patriam.

Miss. Aquilegiense imp. Venetiis 1508. — 3a, 3 Thebas. — 5a, 3 Agen-  
nensium. — 8b, 2 emundatos.

279. De sancto Sigismundo.

- 1 a. Ad praeclara festa regis              1 b. Cedant irae ceu cavilla,  
Currant oves Christi gregis              Surgant lyrae, surgant illa,  
Psallentes cum laetitia,                      Quae sunt absque moestitia.
- 2 a. Nam totius auctor mundi              2 b. Vox resultans sit sonora,  
Per merita Sigismundi                      Cantet, laudet sine mora  
Illustrat Allemanniam,                      Salvatoris clementiam.
- 3 a. Hic vir sprevit suam gentem          3 b. Instat rite vigiliis,  
In se videns hanc furem                      Maceratur jejuniis  
Pro justis operibus,                              Intentus coelestibus.
- 4 a. Burgundones ut praedones              4 b. Et variis obsequiis  
Armigati    Obligati  
Sibi Francos alliciunt,                      Sese Francis subjiciunt.
- 5 a. Novus Judas, Carpsta dictus,          5 b. Heu, quid fecit hic profanus,  
Nequitiae dolis victus                      Qui injecit suas manus  
Regem suum prodidit,                      In Domini militem,  
Vinctum Francis tradidit.                      Pietatis formitem.
- 6 a. Demum vinctus deducitur,              6 b. Triennio latentia  
Conjux, proles assequitur,                      Corpora innocentia  
Ense cervix abscinditur,                      Divina providentia,  
Sic omnibus non parcitur,                      Angelica praesentia  
Clam puteo submerguntur.                      Illic plerumque junguntur.
- 7 a. Vident Christi famuli                      7 b. Caeci, claudi redeunt  
Lampades ardentes,                              Sani, salientes,  
Currunt ibi populi                              Alternatim veniunt  
Dona cupientes;                                      Idem referentes.
- 8 a. Domino favente                              8 b. Tunc inviolata  
Angelus repente                                      Corpora celata  
Dirigitur coelitus,                                      De puteo extrahunt,  
Praecipitque reverendo,                      Atque Christo variarum  
Patri dicto Venerando                      Actiones gratiarum  
Hos extrahi funditus.                              Cum laudibus referunt.



- |   |   |
|---|---|
| <p>9a. Turba videns talia<br/>Stupet et miratur,<br/>Quanta mirabilia<br/>Christus operatur.</p> <p>10a. Febres sedant varias,<br/>Medentur miserias,<br/>Has praestant et alias<br/>Virtutes eximias.</p> <p>11a. Ubi lux est non mutanda,<br/>Canentium vox miranda,<br/>Laus varia,<br/>Pax gloria,<br/>Fulget vultus Deitatis<br/>Perpetuae claritatis.</p> | <p>9b. Ad Agaunum deferunt<br/>Corpora sanctorum,<br/>Multi quoque deserunt<br/>Ritus idolorum.</p> <p>10b. Edax crepat vipera,<br/>Nam et regis opera,<br/>Per haec atque cetera<br/>Multi scandunt aethera;</p> <p>11b. Ad quem statum nos perducatur<br/>Jesus Christus et inducat,<br/>Post exitum<br/>Det aditum,<br/>Ut cum sanctis coronati<br/>Simus atque laureati</p> |
|---|---|

12. In perenni gloria. Amen.

Miss. ms. Cremifanense 41 saec. <sup>14/15</sup>. A. — Miss. ms. S. Coronae anni 1498. Cod. Pragense. XII C 6. — Miss. ms. Kremense saec. 15. Cod. Pragense. XII B 13. C. — Miss. ms. Pragense XIV B 8 saec. 15. D. — Miss. Pragense imp. 1503. E.

1 a, 2 currunt oves A. — 2 a, 3 Placentiam E. — 5 a, 1 Caprasta dictus A. — 5 b, 7 Domini in militem A. — 6 b, 1 Triennio placentia A. — 6 b, 5 Illuc plerumque funguntur A. — 7 b, 2 Sani psallentes A. — 8 a, 7 Patri dilecto A. — 8 b, 1 Tunc immolata B. — 9 b, 1 Aganum E. — 10 b, 1 Nam per regis. — E. — Str. 12 fehlt A.

280. De sancto Stephano.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Mundus heri laetabuntur<br/>Sub Christi praesentia,</p> <p>2a. Post aeterni temporale<br/>Regis natalitium</p> <p>3a. Heri chorus angelorum<br/>Prosecutus est coelorum<br/>Regem cum victoria,</p> <p>4a. Protomartyr et levita,<br/>Clarus fide, clarus vita,<br/>Clarus et miraculis,</p> <p>5a. Dissecantur cordibus,<br/>Strident in hunc dentibus<br/>Viperarum filii;</p> <p>6a. Agoniza, nulli cede,<br/>Certa certus de mercede,<br/>Persevera, Stephane,</p> <p>7a. Testis tuus est in caelis,<br/>Testis verax et fidelis,<br/>Testis innocentiae;</p> | <p>1 b. Nunc recenti recitatur<br/>Stephani memoria.</p> <p>2 b. Celebremus triumphale<br/>Militis martyrium.</p> <p>3 b. Nunc coelestes gaudent chori,<br/>Praesentantes salvatori<br/>Stephanum cum gloria.</p> <p>4 b. Proponebat verbum vitae<br/>Plebi minus eruditae<br/>Resistens incredulis.</p> <p>5 b. Falsos testes statuunt<br/>Et linguas exacuunt<br/>In verba mendacii.</p> <p>6 b. Insta falsis testibus,<br/>Confuta sermonibus<br/>Synagogam Satanae.</p> <p>7 b. Nomen habes coronati,<br/>Te tormenta decet pati<br/>Pro corona gloriae.</p> |
|--|--|

- |  |   |
|--|---|
| <p>8 a. Pro corona non marcenti<br/>Perfer brevis vim tormenti,<br/>Te manet victoria;</p> <p>9 a. Plenus sancto spiritu,<br/>Penetrat intuitu<br/>Stephanus coelestia;</p> <p>10 a. En a dextris Dei stantem<br/>Jesum, pro te dimicantem,<br/>Stephane, considera;</p> <p>11 a. Deponentes falsi testes<br/>Ante pedes Sauli vestes<br/>Saxa rotant saxei,</p> <p>12 a. Ne peccatum statuatur<br/>His, a quibus lapidatur,<br/>Genu ponit et precatur<br/>Condolens insaniae.</p> <p>13 a. Martyr, cujus est jucundum<br/>Nomen in ecclesia,</p> | <p>8 b. Tibi fiet mors vitalis<br/>Tibi poena terminalis<br/>Dat vitae primordia.</p> <p>9 b. Videns Dei gloriam,<br/>Crescit ad victoriam,<br/>Suspirat ad praemia.</p> <p>10 b. Tibi coelos reserari,<br/>Tibi Christum revelari,<br/>Clama voce libera.</p> <p>11 b. Gens ignara pietatis,<br/>Cur insontem lapidatis<br/>Assertorem fidei?</p> <p>12 b. In Christo sic obdormivit,<br/>Qui Christo sic obedivit<br/>Et cum Christo semper vivit<br/>Martyrum primitiae.</p> <p>13 b. Languescentem fove mundum<br/>Coelesti fraglantia.</p> |
|--|---|

Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. 12. et 13. Cod. Parisiens. 1139. A. —  
Trop. S. Martialis Lemovicens. saec. 13. Cod. Parisiens. 1086. B. — Vgl.  
Léon Gautier, Oeuvres poétiques d'Adam de Saint-Victor. Deuxième édition.  
Paris 1881, S. 80.

### 281. De sancto Stephano.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1 a. Unus amor<br/>et una concordia,<br/>una est et caritas.</p> <p>2 a. Tantum ea,<br/>quae nectit unitas,<br/>servat caritas.</p> <p>3 a. Martyria,<br/>eleemosynas,<br/>angelorum<br/>hominumque<br/>linguas probat caritas.</p> <p>4 a. Ut Christus nostram<br/>vellet gestare formam,<br/>suasit caritas.</p> <p>5 a. O Domine,<br/>o quem fecit nostra<br/>petere ima<br/>insita<br/>tibi caritas.</p> | <p>1 b. Unum Deus<br/>amat, dilecto unica<br/>singularis caritas.</p> <p>2 b. Quae dissipant<br/>lis et discordia,<br/>fugat caritas.</p> <p>3 b. Manent tria:<br/>fides, spes, caritas;<br/>major horum<br/>exstat Deo<br/>coaeterna caritas.</p> <p>4 b. Ut coeli claram<br/>Stephanus intret aulam,<br/>fecit caritas.</p> <p>5 b. O Stephane,<br/>o quem dedit celsa<br/>scandere aethra<br/>impensa<br/>ejus caritas.</p> |
|---|--|

- 6 a. Credit cuncta,  
suffert universa  
atque sustinet cuncta  
caritas.
- 7 a. Est ipsa  
et flamma et lampas,  
ignis, carbo, caritas.
- 6 b. Non est vana,  
non ambitiosa,  
non quaerit sua lucra  
caritas.
- 7 b. Est pater,  
est et patris doxa,  
flamen sanctum caritas.
8. Monas-tria  
est caritas.

Miss. ms. Parisiense? saec. 13. Cod. Parisiens. 833.

### 282. De sancto Stephano.

- 1 a. Alabastrum frangitur,  
Nardus odorifera  
Nostra curet vulnera,  
Quae late diffunditur;  
Nam sinapis teritur,  
Dum Stephanus patitur.
- 2 a. Dum legis mysteria  
Caecis martyr aperit,  
Crassa multum operit  
Illis ignorantia,  
Tumens insolentia  
Et fervens insania.
- 3 a. Dum saevit injuria,  
Dum damnatur innocens,  
Evidenter edocens  
Monstrat innocentia,  
Quantum in angustia  
Prosit patientia.
- 4 a. Laqueus conteritur,  
Liberatur spiritus,  
Ad actorem coelitus  
Proprium revertitur,  
Optata spe fruitur,  
Dum carcer dissolvitur.
- 1 b. Dum regnantem inclitus  
Martyr Jesum praedicat,  
Excaecatos indicat  
Doctos legis penitus  
Et exosos coelitus  
Acta probans exitus.
- 2 b. Lapidei lapides  
In martyrem colligunt,  
Quod in ipsum dirigunt.  
In his nunquam desides  
Invenit impietas  
Populum aut praesides
- 3 b. O miranda caritas,  
Flexis orat genibus  
Pro persecutoribus;  
Has incessit semitas  
Via, vita, veritas,  
Calciata deitas.
- 4 b. Obdormivit igitur  
Sempiterna requie,  
Dumque somnus hodie  
Laetanter recolitur  
Et odor respergitur,  
Alabastrum frangitur.

Antiph. et Grad. Nivernense saec. 12. Cod. Parisiens. Nouv. acq. 1235.  
add. saec. 14. — 4b, 3 somnis. — 4b, 4 Lactantur.

### 283. De sancto Stephano.

- 1 a. Adest nobis lux benigna,  
In qua tot et tanta signa  
Fecit et prodigia
- 1 b. Verus hic Israelita,  
Protomartyr et levita,  
Veritate praevia.

- 2a. Domus supra petram sita,  
Sicut probat ejus vita  
Corruscans miraculis,  
3a. Stephanus dum lapidatur,  
Genu flexo deprecatur  
Pro se lapidantibus;  
4a. Martyr fide stat securus.  
Suum Deo redditurus  
Inter ictus spiritum.
- 2b. Superavit hic Judaeos  
Affirmans, quod unus theos  
Regnaret in populis.  
3b. Jesum vidit se vocantem  
A dextrisque Dei stantem  
Cum sanctis spiritibus.  
4b. Stephane, sit tibi cura  
De nobis atque procura  
Cum supernis aditum.

Miss. ms. S. Stephani Divionensis saec. 15. Cod. Parisiens. 879.

284. In Inventione s. Stephani.

- 1a. O athleta gloriose,  
Protomartyr pretiose.  
Nostrae laudes, nostrae prosae  
Fiant tibi gratiosae,  
Quas cantamus hodie.  
2a. Sanctus iste  
Pro te, Christe,  
Morti fuit traditus,  
3a. Fide vera,  
Spe sincera,  
Caritate praeditus,  
4a. Veritatis inimici,  
Contumaces et iniqui,  
Audientes contradici,  
Quod in lege sentiunt,  
5a. Vir insignis,  
Pro malignis  
Et indignis supplicas,  
6a. Vir profanus  
In te manus  
Intulit maleficas  
7a. Pro nefandis inimicis:  
Parce precor, Jesu, dicis;  
Pro quibusdam exaudiris,  
Adimpletur quod requiris,  
Nam Saulus convertitur.  
8a. O Judaeae, quare saevis,  
Poena levis, parva, brevis,  
Merces erit maxima;  
9a. Fac, quod dicis, vel fac pejus,  
Tibi nocens, factus ejus  
Fornax purgatoria.
- 1b. Qui pro turba lapidante  
Corde rogans miserante,  
Intercede pro peccatis  
Apud fontem pietatis  
Et misericordiae.  
2b. Mors illius  
Est ipsius  
Ad vitam introitus.  
3b. Stat invictus  
Inter ictus  
Et hostiles fremitus.  
4b. Virum damnant eloquentem,  
Virum justum et prudentem  
Et in virum innocentem  
Lapides projiciunt.  
5b. In quo mentis  
Condolentis  
Pietatem indicas.  
6b. Ex hoc, quia  
De Maria  
Christum natum praedicas.  
7b. Res est nova, signum magnum,  
Lupus versus est in agnum,  
Persecutor Saulus ante  
Praedicator te precante  
Factus esse dicitur.  
8b. Corpus potes fatigare,  
Tormentare, flagellare,  
Nil potes in anima.  
9b. Ima mittat pro supernis  
Et pro bonis sempiternis  
Bona transitoria.

- |   |  |
|---|--|
| <p>10a. O Judaeae insensate.<br/>Sicut lapis indurate.<br/>Venenate, non est mirum,<br/>Si diffundis virus dirum<br/>In virum innoxium.</p> | <p>10b. Litem paras et certamen.<br/>Sed paratum est solamen,<br/>Coelum sibi reseratur<br/>Et in coelo contemplatur<br/>Stantem Dei filium.</p> |
| <p>11 a. A Judaeo lapidaris<br/>Et a Deo coronaris,<br/>Martyr prime martyrum;</p>  | <p>11 b. Salvatorem tuum vides,<br/>Magnum tibi magna fides<br/>Praeparavit praemium.</p>  |
| <p>12 a. Post pressuram torcularis,<br/>Quasi vinum deportaris<br/>Patris in cellarium,</p>   | <p>12 b. Necem passus temporalem<br/>Faecem ponis corporalem,<br/>Purus intras dolium.</p>   |
| <p>13 a. In supernis gloriaris,<br/>Trinitatem contemplaris,<br/>Hoc est summum gaudium ;</p>   | <p>13 b. Ergo, martyr venerande,<br/>Prosint nobis preces blandae,<br/>Prosit et obsequium.</p>  |
| <p>14 a. Post praesentis vitae cursum<br/>Servos tuos trahere sursum<br/>Ad coeli palatium,</p>   | <p>14 b. Ubi quies est perennis.<br/>Ubi dies est solennis,<br/>Pax jugis et otium,</p>  |
15. Ubi vitae longitudo,  
Ubi tota multitudo  
Est vere laetantium.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicensis saec. 13. Cod. Parisiens. 1086. — 8b, 2 Tormentari. — 10b, 4 coelum.

285. In Inventione s. Stephani.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Sacri gleba corporis<br/>Longo lapsu temporis<br/>Viluit incondita,</p>     | <p>1b. Ferarum et avium<br/>Terraesque reptilium<br/>Morsibus exposita.</p>        |
| <p>2a. Nec avis nec bestia<br/>Nec terrae reptilia<br/>Praesumpsit contingere,</p> | <p>2b. Quem occidit impia<br/>Gentis contumacia<br/>Obstinato scelere.</p>         |
| <p>3a. Sed in Caphargamala,<br/>Cui gens acephala<br/>Denegavit tumulum,</p>       | <p>3b. Quievit reconditus,<br/>Luciano cognitus<br/>Tandem per miraculum.</p>      |
| <p>4a. Incalati specie,<br/>Rosarum effigie<br/>Revelari decuit,</p>               | <p>4b. Qui quasi flos roseus<br/>Flagrans et purpureus<br/>Martyrio floruit.</p>   |
| <p>5 a. Revelatus saeculis<br/>Cavet a periculis<br/>Tenebrosi temporis,</p>       | <p>5 b. Corruscans miraculis<br/>Suffragetur famulis<br/>Sacri gleba corporis.</p> |

Miss. ms. Autisiodorensis saec. 14. Cod. Parisiens. 17316. — Mel. vermutlich: Veni sancte spiritus.

286. De sancto Suitberto.

- |  |   |
|--|---|
| 1 a. Diem festum celebremus,<br>Qui Suiberti congaudemus<br>Spiritali gloriae,           | 1 b. Qui salutem praedicavit,<br>Per quem fides germinavit<br>In terra Germaniae. |
| 2 a. Huc ab Anglis destinatus,<br>Willibrordo comitatus<br>Et decem discipulis,          | 2 b. Est eisdem praerogatus<br>Et ad sacram sublimatus<br>Dignitatem praesulis.   |
| 3 a. Hoc adscribi debet isti,<br>Quod professi fidem Christi<br>Sunt Boructuarii;        | 3 b. Debellantes gentem talem<br>Sedem Verdae cathedralem<br>Subverterunt impii.  |
| 4 a. Sed Blitrudis intercessit,<br>Et Pipinus huic concessit<br>Verdam, quae est insula, | 4 b. Ibi sacram vitam gessit,<br>Ubi Deus hoc expressit<br>Per multa miracula.    |
| 5 a. Per hunc aura temperatur,<br>Per hunc aegris dispensatur<br>Sanitatum gratia,       | 5 b. Cujus prece mereamur,<br>Ut per ipsum provehamur<br>Ad aeterna gaudia.       |

Miss. ms. Luneburgense 91. saec. 14.

287. De s. Thoma Cantuariensi.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Salvatoris in honorem<br>Patrem suum et pastorem<br><br>Veneretur Anglia,    | 1 b. Ut in Thoma Christum laudet,<br>Quae per Thomam Christi<br>gaudet<br>Assequi praesidia. |
| 2 a. Caritate radicans<br>Ante mortis cruciatus<br>Longa fert exsilia,            | 2 b. Impiorum cadit ense<br>Et per ensem ad immensae<br>Lucis intrat gaudia.                 |
| 3 a. In virtutis argumentum<br>Thomae firmat testamentum<br>Cerebri dispersio,    | 3 b. Vicem chartae pavementum,<br>Cruor supplet attramentum<br>Scribiturque gladio.          |
| 4 a. O miranda Dei dona,<br>Dum torquetur in corona,<br>Coronatur gloria,         | 4 b. Et assertor libertatis<br>Exaltatur cum beatis<br>In coelesti patria.                   |
| 5 a. Sic per mortem vitae porta<br>Reseratur et absorpta<br>Mors est in victoria, | 5 b. Rem audimus inauditam,<br>Sanat dolor et ad vitam<br>Mors est ostiaria.                 |
| 6 a. Caeci, surdi, claudi, muti<br>Laeti currunt assecuti<br>Thomae beneficia.    | 6 b. Per hunc nobis, Christe, dones,<br>Ut cum ipso nos corones<br>In sanctorum patria.      |

Miss. ms. Cantuariense saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 135. Mit Mel.:  
Salvatoris mater pia.

288. De sancta Ursula.

- |   |   |
|---|---|
| 1a. <i>Mente pura contemlemur,<br/>Voce laeta modulemur<br/>Praeclara solemnua,</i>         | 1b. <i>Congaudendo decantemus,<br/>Conciendo collaudemus<br/>Virtutum insignia.</i>       |
| 2a. <i>Coetus cautus virginalis<br/>In affectu foret qualis,<br/>Mentis cernat oculus;</i>  | 2b. <i>Hinc ferventer imitetur,<br/>Reverenter veneretur<br/>Fide fultus populus.</i>     |
| 3a. <i>Haec electa semina<br/>In virtutum germina<br/>Sparsit auctor saeculi</i>            | 3b. <i>Tantarum propaginum<br/>In personis virginum<br/>Ad salutem populi.</i>            |
| 4a. <i>Mundi hujus cuncta spernunt<br/>Et caduca vere cernunt<br/>Reputantes vilia;</i>     | 4b. <i>Nil curantes hic paterna<br/>Adspirantes ad superna<br/>Haec undena milia.</i>     |
| 5a. <i>Hortus florum hic amoenus<br/>Suavitate mira plenus,<br/>Fragrat odorifere,</i>      | 5b. <i>Dum plectuntur et sternuntur<br/>Et cruore perfunduntur<br/>Rosae salutiferae.</i> |
| 6a. <i>Patri regis Ursula<br/>Ut fidelis famula<br/>Nunc concomitatur,</i>                  | 6b. <i>Jam praefulgens filia<br/>Offerens tot milia<br/>Coelo collocatur.</i>             |
| 7a. <i>His praeclaris margaritis<br/>In conflictu sic attritis<br/>Digne das praeconia,</i> | 7b. <i>Urbs beata, in qua strata<br/>Sunt haec ossa purpurata,<br/>O felix Colonia.</i>   |
| 8a. <i>Ex te namque derivatur,<br/>In quo nostra gloriatur<br/>Jam collecta concio;</i>     | 8b. <i>Chorus noster jucundatur,<br/>Hic per te dum excitatur<br/>Mentium devotio.</i>    |
| 9a. <i>Laudes ergo nunc resonent<br/>Pia corda ac intonent<br/>Voce plena;</i>              | 9b. <i>Clama petens suffragia,<br/>Horum sequens vestigia<br/>Mens egena.</i>             |
| 10a. <i>Sponsas regis honoremus,<br/>Ut eisdem conregnemus<br/>In coeli palatio.</i>        | 10b. <i>In te, Jesu, collaetemur<br/>Et hoc praesta, ne privemur<br/>Perenni solatio.</i> |

Miss. ms. Praedicatt. Vindobonens. s. sign. anni 1477. — 3a, 1 femina  
Hs. — Mel. jedenfalls: In coelesti hierarchia.

289. De sancta Ursula.

- |   |  |
|---|--|
| 1a. <i>Dulci voce resonet,<br/>Dulce melos intonet<br/>Die hac ecclesia;</i>  | 1b. <i>Diem festum agimus,<br/>Virginum recolimus<br/>Sacrata martyria.</i>            |
| 2a. <i>Harum prima Ursula,<br/>Nobilis et regia,<br/>Fulgens sanctimonia,</i> | 2b. <i>Cum in sponsam quaeritur,<br/>Sponsus sic protrahitur<br/>Sagaci prudentia.</i> |

- |   |  |
|---|--|
| 3a. Spatium triennii<br>Et coetus virginei<br>Expetit solatia,                                      | 3b. Undena sunt milia<br>Clara ex prosapia<br>Data dotis gratia.                                 |
| 4a. Quarum ad obsequia<br>Undecim navigia<br>Dat regalis copia,                                     | 4b. Ursula tunc inclita<br>Gaudens prodit abdita<br>Haec eis mysteria:                           |
| 5a. Christum sponsum eligo<br>Et mortalem negligo,<br>Facite similia;                               | 5b. Laudat chorus virginum<br>Reginae consilium,<br>Spurnunt mox conjugia.                       |
| 6a. Naves intrant concito,<br>Vela tendunt subito,<br>Fugiunt de patria,                            | 6b. Cedunt cuncta prospere,<br>Unda, aura, tempore<br>Dei providentia.                           |
| 7a. Flagrantes desiderio<br>Pro praescito martyrio<br>Veniunt Coloniam,                             | 7b. Hunnorum tunc gens perfida,<br>Ursorum instar rabida,<br>Infert his supplicia.               |
| 8a. Armata ferro dextera<br>Detruncant membra tenera,<br>Sed vincunt patientia.                     | 8b. Madescit tellus sanguine,<br>Pro tanto gaudet agmine<br>Superna coeli curia.                 |
| 9a. O beatæ virgines,<br>Nostri sitis memores,<br>Quod vestris interventibus<br>Nobis sit propitius | 9b. Mitis sponsus virginum,<br>Jesus, judex omnium,<br>Donet piis gaudia<br>Per aeterna saecula. |

Miss. ms. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 3a, 3 solatium. — 7b, 2 ad instar.

## 290. De sancta Ursula.

### 1. Exsultemus in hac die festiva,

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Recolentes Domini magnalia,<br>in sanctis quae operatur<br>maxima. | 2b. Qui inter suae potentiae mira<br>in virginum est maximus<br>gloria. |
| 3a. Sua enim gratia<br>mundi viluit<br>virginibus pompa.               | 3b. Atque contra praecepta<br>regum restitit<br>virginalis pugna.       |
| 4a. Furit rabies vesana,<br>devicta<br>tristatur malitia.              | 4b. Crudescit carne tenera,<br>majora<br>exquirat supplicia.            |
| 5a. Sed tunc stat firmior<br>caro virginea,                            | 5b. Cum multiplicantur<br>poenarum genera.                              |
| 6a. Pro aeterna,<br>quam exspectant<br>a Deo, gloria                   | 6b. Laetantur<br>mortalia<br>affligi corpora.                           |



- |  |  |
|--|--|
| <p>7a. Quia transitoria<br/>Et in motu subito labentia<br/>mundi gaudia</p> <p>8a. Cujus hodie<br/>celebramus solemniam;<br/>splendens inter alias<br/>ut lucifer<br/>inter minores stellas.</p> <p>9a. Ut tecum in aula<br/>exsultemus<br/>aetherea,<br/>præce perpetua</p> | <p>7b. Ut flores decidua.<br/>Ex hac virginea sorte claruit<br/>Ursula sancta.</p> <p>8b. Virgo beata,<br/>fortiter ferens omnia<br/>nec mori recusans<br/>pro gloria,<br/>pro nobis Deum ora.</p> <p>9b. Pro sanctorum, virgo<br/>gloriosa,<br/>collaudemus<br/>Dominum gloria.</p> |
|--|--|

Miss. ms. Sarisberienſe ſaec. 15. Cod. bibl. Rossianæ s. sign. A. — Miss. ms. Brixinense ſaec. 15. Cod. Seminar. episc. s. sign. B. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437 Clm. Monacens. 7550. C. — Miss. ms. S. Laudi Rotomagens. ſaec. 14. ex. Cod. S. Genovefæ Parisiens. BBl. Fol. 5. D. — Miss. ms. Plagenſe s. sign. ſaec. 15. E. — Miss. ms. Oxoniense anni 1384. Clm. Monacens. 705. F. — Grad. ms. Pragense VI C 15. ſaec. 15. G. — Grad. ms. Strahoviense H o 1. ſaec. 16. H.

2a, 2 qui operatur A; quæ operantur BC. — 3a, 1 Qua enim F. — 3b, 3 virginum caterva BCEFGH. — 4b, 3 exquirat fehlt A; tormenta AD. — 5b, 2 nova supplicia AD. — 6b, 3 sua corpora AD. — 7b, 1 Et flores DF. — 7b, 2 claruit Katharina D; claruit N. D. — 9b, 1 sqq.: In sanctorum coetu concinentes ac dicentes Deo laus et gloria BCEGH.

#### 291. De sancta Valeria.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Ave virgo nobilis,<br/>Vita venerabilis,<br/>Praeclara Valeria,</p> <p>2a. Ave patientium<br/>Pro Christo martyrrium<br/>Virginum primaria,</p> <p>3a. Ave parens monitis<br/>Martialis inclitis<br/>Praefulgentis gratia,</p> <p>4a. Ave caesa proprium<br/>Deferens eximium<br/>Caput inter brachia;</p> <p>5a. Ave, cujus precibus<br/>Sponsus tuus sedibus<br/>Sedet coeli curia;</p> | <p>1b. Ave martyr inclita,<br/>Sanctitate praedita,<br/>Meritis eximia.</p> <p>2b. Ave decus patriae,<br/>Splendor Aquitaniae,<br/>Lemovica gloria.</p> <p>3b. Ave clarens titulis,<br/>Coruscans miraculis,<br/>Vernans sapientia.</p> <p>4b. Ave, cujus anima<br/>Scandit beatissima<br/>Coelica palatia.</p> <p>5b. Ave plena laudibus,<br/>Fac tuis supplicibus<br/>Vitae dari praemia.</p> |
|--|---|

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicens. ſaec. 14. Cod. Parisiens. 916. — Mel.: Veni sancte spiritus.

#### 292. De ss. Victorino et Floriano.

- |  |   |
|--|---|
| <p>1a. Eja laete jam cantemus<br/>Et ad mentem revocemus<br/>Martyrum certamina.</p> | <p>1b. Victorinus fide plenus<br/>Tormentorum vicit genus<br/>Dei per juvamina.</p> |
|--|---|

- |  |   |
|--|---|
| 2a. Orbatus hic parentibus<br>Relictis cunctis entibus<br>Clam desertum iniit,     | 2b. Quod Satan mox percipiens,<br>Puellae formam induens<br>Dulciter hunc adiit.      |
| 3a. Cum quo sanctus heu peccavit,<br>Mira poena castigavit<br>Carnis petulantiam;  | 3b. Post a plebe postulatur<br>Et sic praesul consecratur<br>Vitans arrogantiam.      |
| 4a. Hinc tyranno praesentatur,<br>Jubet is, ut suspendatur<br>Lacum super putridum | 4b. Erectis sursum pedibus,<br>Unitur coeli sedibus<br>Sertum ferens floridum.        |
| 5a. Carus Deo Florianus,<br>Toto corde fide sanus,<br>Sese sponte obtulit;         | 5b. Fuste nempe tormentatur,<br>Diris ferris laceratur<br>Et constanter pertulit.     |
| 6a. Super pontem collocatur,<br>Collo lapis alligatur<br>Ejus et submergitur;      | 6b. In moerorem vergit risus,<br>Cum tortorum crepunt visus,<br>Rumor late spargitur. |
| 7a. Corpus en beati talis<br>Aquila defendit alis<br>A feris et avibus,            | 7b. Laudat Deum nunc in caelis<br>Miles prudens et fidelis<br>Canticis suavis.        |
| 8a. Victorine, Floriane,<br>Ne hic laboremus vane,<br>Vos oramus supplices,        | 8b. Et ut nobis cum beatis<br>De thesauro majestatis<br>Dentur dotes duplices.        |

Grad. Monasteriens. imp. s. l. et a. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

### 293. De sancto Vigore.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Vigor viget hodie,<br>Vigoris ut gratiae<br>Docent privilegia,                                   |  |
| 2a. Victa lege funeris<br>Superis in aetheris<br>Collaetatur curia.                                 | 2b. Ex te nomen habuit<br>Vigor, quia viguit<br>Virtutum potentia.                           |
| 3a. Res respondet nomini,<br>Praedicati termini<br>Praedicatur gloria                               | 3b. Vivit hic in Domino,<br>Cujus vitae termino<br>Respondent principia.                     |
| 4a. Ventre necdum editus<br>Nuntiatur coelitus,<br>Quod sit sancti spiritus<br>Illustrandus gratia. | 4b. Quem ornavit castitas,<br>Ordinavit caritas,<br>Illustravit bonitas<br>Et magnificentia. |
| 5a. Reddit idem<br>Vir per fidem<br>Reddit vero<br>Deo vero<br>Paganorum milia.                     | 5b. Mater plorat,<br>Sanctus orat,<br>Et sic natus<br>Suscitatus<br>Redit ad vitalia.        |

- |   |   |
|---|---|
| <p>6a. Ter damnatur,<br/>Ter fugatur<br/>Serpens ille,<br/>Qui per mille<br/>Saevit artificia.</p>                            | <p>6b. Mons crismatus<br/>Est sacratus<br/>In profani<br/>Loco fani<br/>Vigoris instantia.</p>                            |
| <p>7a. Agrum sancti comes arat<br/>Vi, sed sanctus precem parat,<br/>Qua comitis vesania<br/>Morte damnatur impia.</p>        | <p>7b. Oves recto recluduntur<br/>Et quae laedunt non laeduntur,<br/>Avis resurgit mortua<br/>Sancti prece praecipua.</p> |
| <p>8a. Te, beate pater Vigor,<br/>Os. lingua, mens, sensus, vigor<br/>Venerentur,<br/>Ut laetentur<br/>Tecum sine macula.</p> | <p>8b. Sta devotis pro devotis,<br/>Qui te votis vocant doctis,<br/>Tu adesto<br/>Tuo festo<br/>Per aeterna saecula.</p>  |

Prosar. ms. S. Frambaldi Silvanectensis saec. 14. Cod. S. Genovefae Parisiens. BBl. 4<sup>o</sup> 45. — Mel. = Mane prima Sabbati. — 5a, 3 Redde.

294. De sancto Vincentio.


- |  |  |
|--|--|
| <p>1a. Sacra Vincentii<br/>Mundus certamina<br/>Recolens hodie<br/>pura det carmina.</p>       | <p>1b. Levita nobilis<br/>hic in ecclesia<br/>Vice pontificis<br/>gessit magnalia.</p>       |
| <p>2a. Ad Hispanos Dacianus<br/>Tandem venit vir profanus<br/>Deos putans idola,</p>           | <p>2b. Ab hoc testis jam praefatus<br/>Cum fuisset sciscitatus,<br/>Verba risit subdola.</p> |
| <p>3a. Huic cura<br/>Pati dura<br/>Propter Christum inerat,</p>                                | <p>3b. Hic praecepta<br/>Fert inepta,<br/>Caesar quae statuerat.</p>                         |
| <p>4a. Post stridores catenarum<br/>Horror urget tenebrarum<br/>Et robur equulei,</p>          | <p>4b. Saevit unguis cum furore<br/>Et resperso jam cruore<br/>Artus vernant nivei.</p>      |
| <p>5a. Virtutem pristinam<br/>In ferri machinam<br/>Martyr exhibuit,</p>                       | <p>5b. Dum illam scandere<br/>Confossus verbere<br/>Ultro non timuit.</p>                    |
| <p>6a. Rogi flagrans pars utraque<br/>Scintillabat usquequaque<br/>Membris patens omnibus,</p> | <p>6b. Clade quoque repentina<br/>Sal vi ferit intestina,<br/>Sal injectum ignibus.</p>      |
| <p>7a. Traditur praeterea<br/>In obscura cavea<br/>Miles invictissimus,</p>                    | <p>7b. Testa pungens frangitur<br/>Et sub illo spargitur,<br/>Ut jubet nequissimus.</p>      |
| <p>8a. Coelestem populum<br/>Capit ergastulum<br/>Resultans cantibus;</p>                      | <p>8b. Fit fragmen testium<br/>Gramen nectareum<br/>Versum in floribus.</p>                  |

- |   |   |
|---|---|
| 9a. Nuntiat anhelus lictor,<br>Quod inclusus agat victor,<br>Quod cum eo socii. | 9b. Factus praeses tunc exsanguis<br>Torquebatur velut anguis<br>Spe carens consilii. |
| 10a. Stratum, inquit, ocius<br>vulnus recens foveat,                            | 10b. Nil in illud asperum,<br>nihil durum lateat.                                     |
| 11a. Inimicus hic deorum<br>Requiescat in hunc thorum,<br>Convalescat viribus,  | 11b. Ut dolore renovato<br>Poenas solvat iterato,<br>Ne insultet legibus.             |
| 12a. Igitur fulcro potitus<br>Miles Christi redimitus<br>Castra petit supera,   | 12b. Quo rex pius ejus prece<br>Sublevatos nos de faece<br>Perducatur post funera.    |
13. Amen nunc omnia  
Sonent canentia.

Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. saec. 11. Cod. Parisiens. 1132 add. saec. 12. A. — Trop. ms. S. Martialis Lemovicens. <sup>12/13</sup> Cod. Parisiens. 1139. B. — 1a, 4 pura det fehlt A. — 1b, 4 fecit magnalia A. — 3a, 3 Propter Christum meruit A. — Str. 2b fehlt A; 2b, 1 Ob hoc B. — 6b, 2 Saltu ferit A.

295. De sancto Vincentio.

- |  |   |
|--|---|
| 1a. Jubilantes coeli chori<br>Christo psallant et victori<br>Martyri Vincentio,        | 1b. Levitarum sacro flori<br>Voto, voce clariori<br>Nostra psallat concio.                |
| 2a. Clara ortus parentela<br>Carnis, hostis, mundi tela<br>Fugat cum victoria,         | 2b. Vita signat Samulem,<br>David manu, Danielelem<br>Doctrinarum gloria.                 |
| 3a. Praeco verbi fit Levita,<br>Mente fervens, clarus vita,<br>Vices gerens praesulis, | 3b. Inter turbas eremita,<br>Jussa spernit felle lita<br>Daciani consulis.                |
| 4a. Lictor caedit, debacchatur<br>Dacianus, laceratur<br>Martyr in equuleo,            | 4b. Cratem scandit, praeses furit,<br>Prunae vernant, ignis urit,<br>Lecto jacens ferreo. |
| 5a. Carcer, mare superatur,<br>Corvus servat, occultatur<br>Longo licet tempore,       | 5b. Hoc thesauro spoliantur<br>Valentini, dum foedantur<br>Idolorum foedere.              |
| 6a. Hunc patronum dignum laude<br>Sibi datum sine fraude<br>Castrensis ecclesia        | 6b. Digne colit et adorat,<br>Veneratur et implorat<br>Ejus patrocinia.                   |
| 7a. Hujus rei tam insignis<br>Veritatem rectis signis<br>Christi pandit veritas,       | 7b. Anus loquax reformatur,<br>Caeci vident, claudis datur<br>Et aegrotis sospitas.       |
| 8a. Mira domus haec testatur,<br>Quae Levitae fabricatur<br>A devotis gentibus.        | 8b. Tandem Christus, rex benignus,<br>Cum structura sacrum pignus<br>Dat praedicatoribus. |



9a. Clamet ergo praedicator,  
Et Castrorum habitator  
Exoret Vincentium,

9b. Ut ad vitam ex hac valle  
Nos perducatur recto calle  
Vitae post exilium.

Grad. ms. Praedicatt. Cracoviens. s. sign. saec. 15/16. A. — Miss. Praedicatt. imp. Venetiss 1600. B. — Mel.: Lauda Sion A.

296. De sancto Vincentio.

1a. O Vincenti, dum tormenti  
Poenam sentis in tormentis  
Manens tutus,

1b. Stramentorum intrans thorum  
Exspirasti, quod optasti,  
Consecutus.

2a. Corpus exanime,  
Quod in patibulo  
Victum est minime,  
Non sinit tumulo  
Carnifex reponi.

2b. Immo continuum  
Scelus exagerat,  
Saevit in mortuum  
Et corpus imperat  
Avibus exponi.

3a. Aves et bestiae  
Praebent obsequium  
Gratum custodiae  
Verentes noxium  
Tactum exhibere.

3b. O mira novitas,  
A brutis noscitur  
In sancto sanctitas,  
Et iudex fallitur  
Nec falluntur ferae.

4a. Tandem suspensa  
Corpori mola  
Mandatur aequori  
Judicis mandato.

4b. Quod natum litus,  
Sabulo repertum,  
Claudi in tumulo  
Meruit sacrato.

5a. O Vincenti, qui vicisti,  
Miles fortis, miles Christi,  
Victor invictissime,

5b. Ora Christum pro devotis,  
Ut salutem det aegrotis  
Corporis et animae.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisiens. 10487.

297. De sancto Wenceslao.

1a. Salve, pater optime,  
Christi martyr inclite,  
Salve dux Bohemiae,  
Wenceslao.

1b. Tu de stirpe regia  
Nobili prosapia  
Natus in Bohemia,  
Wenceslao.

2a. Bohemorum speculum,  
Coli tabernaculum  
Tu perlustras hodie,  
Wenceslao.

2b. Plenus Dei munere  
Meruisti scandere  
Tua sanctitate,  
Wenceslao.

3a. Te advocant hodie  
In valle miseriae,  
Wenceslao,

3b. Ad te clamant miseri  
De fermento veteri,  
Wenceslao.

4a. Audi voces te precantes,  
Nos commenda Domino,  
O Wenceslao,

4b. Ut ingressum per saecula  
Suo det in solio,  
O Wenceslao.

Grad. ms. Altovadense 42 anni 1410. A. — Missale Pragense imp. 1503. B. — 2b, 3 hat eine Silbe weniger als die entsprechende Zeile der Gegenstrophe.

298. De sancto Wilhelmo.

- |   |  |
|---|--|
| 1 a. Ecce dies specialis<br>Confessorum gloria,           | 1 b. Qua praeifulget triumphalis<br>Wilhelmi victoria. |
| 2 a. Qua aeterna Christo duce<br>Migravit ad gaudia       | 2 b. Sempiterna gaudens luce<br>Ejus in praesentia.    |
| 3 a. Qui mente spirituali<br>Clarebat per omnia,          | 3 b. Vita fruens temporali<br>Adspirans coelestia,     |
| 4 a. Morum clero praestans forma<br>Ut jubar ecclesiae,   | 4 b. Plebi vitae fulsit norma<br>Ut fomes justitiae,   |
| 5 a. Lapsis vitae dans solamen,<br>Spem reformans veniae, | 5 b. Oppressorum relevamen<br>De valle miseriae.       |
| 6 a. Hujus ergo prece pia<br>Coelestis militiae           | 6 b. Nos adscribat vitae via<br>Rex aeternae gloria.   |

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Parisiens. 17317. — 3a Habebat.

299. De sancto Wilhelmo.

- |  |  |
|--|--|
| 1 a. Ad honorem salvatoris<br>Et Wilhelmi confessoris<br>Psallat haec ecclesia,    | 1 b. Nos nunc illum venerari<br>Ac ipsius imitari<br>Oportet vestigia.         |
| 2 a. Hujus vita Deo grata<br>Multis modis est probata<br>Juge per supplicium;      | 2 b. Ornat virtus sanctum Dei,<br>Sanctitatis ferunt ei<br>Signa testimonium.  |
| 3 a. Caeci vident, muti fantur,<br>Lepra fugit et fugantur<br>Morbi cuncta genera; | 3 b. Adhuc magis honoratur,<br>Quod defunctis vita datur<br>Ejus ope prospera. |
| 4 a. Sana, pater, pia prece<br>Nos a morbo, nos a nece<br>Carnis delens vitia,     | 4 b. Ut te duce consequamur<br>Vitae donum et ducamur<br>Ad aeterna gaudia.    |

Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — Mel. jedenfalls: Ad honorem matris Dei.

300. De sancto Wilhelmo Bituricensi.

- |   |   |
|---|---|
| 1 a. Ecce venit lux optata,<br>Lux jucunda, dedicata<br>Salvatoris laudibus,          | 1 b. Qui Guillelmum sublimavit,<br>Sublimatum coronavit<br>In regnis coelestibus. |
| 2 a. Hic est pater et patronus,<br>Quem pastorem summe bonus<br>Pastor nobis tribuit. | 2 b. Qui benignum se rectorem,<br>Pium patrem et doctorem<br>Subditis exhibuit.   |

- |  |   |
|--|---|
| 3a. Hic virtutum aemulator<br>Fideique propagator<br>Verbum vitae praedicans,        | 3b. Hic fidelis dispensator,<br>Non avarus foenerator,<br>Talentum multiplicans.    |
| 4a. Hic est ille Deo carus,<br>Verbo, vita, fide clarus,<br>Dans salutem populis.    | 4b. Quantus enim sit vir iste,<br>Declarasti, Jesu Christe,<br>Signis et miraculis. |
| 5a. Serve prudens et fidelis,<br>Cujus merces est in caelis,<br>Nostra sana vulnera; | 5b. Visitare servos velis,<br>Ab antiqui hostis telis<br>Nos ignitis libera.        |
| 6. Amen dicant omnia.  |   |

Miss. ms. Autisidiorensis saec. 14. Cod. Parisiens. 17316.

## Inhalts-Übersicht.


	Seite		Seite
Ab aeterno disponente . . . . .	47	Ave Gertrudis virgo . . . . .	139
Ab arce siderea . . . . .	13	Ave gloriosior . . . . .	75
Ad coeleste gaudium . . . . .	114	Ave maris stella . . . . .	75
Adest dies gloriosa . . . . .	157	Ave mater redemptoris . . . . .	80
Adest dies triumphalis . . . . .	165	Ave mulier sole . . . . .	74
Adest nobis lux benigna . . . . .	215	Ave novi luminis . . . . .	74
Adest venerabilis . . . . .	102	Ave praeclara crucis ara . . . . .	30
Ad haec colenda gaudia . . . . .	100	Ave virgo nobilis . . . . .	221
Ad honorem et decorem . . . . .	145	Ave virgo virga Jesse . . . . .	73
Ad honorem regis . . . . .	200	Ave virgo virga Jesse . . . . .	73
Ad honorem Messiae . . . . .	45	Beata nobis gaudia . . . . .	193
Ad honorem Salvatoris . . . . .	226	Candor surgens ut aurora . . . . .	15
Ad honorem sanctorum . . . . .	85	Canentes Salvatori . . . . .	104
Ad honorem summi regis . . . . .	115	Cantu Christo diligenti . . . . .	34
Ad honorem tuum Christe . . . . .	153	Celebria solemnia . . . . .	31
Ad illuminandum mundum . . . . .	143	Christe Salvator Jesu . . . . .	37
Ad laudem matris Dei . . . . .	78	Christi crucem veneremur . . . . .	24
Ad Martini titulum . . . . .	190	Christo laudes decantet . . . . .	156
Ad praeclara festa regis . . . . .	212	Christo laudes haec caterva . . . . .	201
Ad te confugimus . . . . .	132	Christo regi cantica . . . . .	194
Aegidio psallat coetus . . . . .	97	Clari duces nostrae spei . . . . .	204
Agrippinensis plantula . . . . .	137	Clarus dies et decorus . . . . .	211
Alabastrum frangitur . . . . .	215	Cleri coetus Genovefae . . . . .	135
Alle — cantabile sonet . . . . .	110	Coeli coetus civium . . . . .	113
Alludat vox ecclesiae . . . . .	118	Coeli enarrant gloriam . . . . .	183
Alma Dei genitrix . . . . .	77	Coeli quondam roraverunt . . . . .	72
Alma virgo florens rosa . . . . .	77	Coeli solem profert stella . . . . .	72
Alma virtus Salvatoris . . . . .	205	Coeli sphaera volutatur . . . . .	125
Alme Deus lux summa . . . . .	88	Collaetetur venerantes . . . . .	95
Angelicae nos respice . . . . .	76	Concinens jubila . . . . .	41
Angelica reboat . . . . .	35	Confessoris ineliti . . . . .	113
Angelus ad virginem . . . . .	49	Confessorum flos Martinus . . . . .	186
Anni nobis circulus . . . . .	169	Contra casum primae sortis . . . . .	78
Apparuit hodie . . . . .	17	Creaturae creatorem . . . . .	140
Aram crucis omnes lucis . . . . .	26	Culter qui circumcidisti . . . . .	19
A solis ortu et occasu . . . . .	25	Cum fiducia pangamus . . . . .	143
Ave germana fratris . . . . .	209	Cum Johannis sanctitatem . . . . .	154



	Seite		Seite
Cursum sol interans . . . . .	79	Gratuletur mundus iste . . . . .	150
<b>D</b> iem festum celebremus . . . . .	218	<b>H</b> ac clara die turma . . . . .	165
Diem festum veneremur . . . . .	160	Hac die festa concinat . . . . .	16
Dies ista, dies lacta . . . . .	203	Hac in die celebri . . . . .	162
Dies sancta corruscavit . . . . .	121	Hac in die plebi piae . . . . .	102
Digne recoluntur digni . . . . .	95	Haec est dies digna cultu . . . . .	99
Dissoluto carnis luto . . . . .	182	Haec est dies quam fecit . . . . .	32
Dulce lignum lignum vitae . . . . .	29	Haec est domus Domini . . . . .	40
Dulce melos Margaritae . . . . .	172	Haec est sancta solemnitas . . . . .	140
Dulce voce resonent . . . . .	219	Hodierna die laetus . . . . .	17
<b>E</b> cce dies specialis . . . . .	226	Hodiernae lux diei . . . . .	19
Ecce novum gaudium . . . . .	35	Hodiernae lux diei . . . . .	171
Ecce venit lux optata . . . . .	226	Hodierna resonent . . . . .	119
Eja gaudeas caterva . . . . .	97	Honor crucis dilatetur . . . . .	23
Eja laete jam cantemus . . . . .	221	Honoremus corde toto . . . . .	89
Eja sponsa Christi gaude . . . . .	59	Honoremus hodiernum . . . . .	197
Eligentis et electi . . . . .	121	<b>I</b> lluxit dies quam fecit . . . . .	33
Epithalamica die . . . . .	45	In his solemnibus . . . . .	50
Ex radice caritatis . . . . .	207	In honorem beati . . . . .	105
Exsulta Sion filia . . . . .	130	In praeconis et baptistae . . . . .	153
Exsultemus in hac die . . . . .	220	Inter choros supernorum . . . . .	103
Exsultemus jubilando . . . . .	106	Inter sanctos Deo gratos . . . . .	93
Exsultemus sic in Deum . . . . .	182	In valle miseriae . . . . .	36
Exsultemus solventes . . . . .	156	<b>J</b> ubar lucis inoffensae . . . . .	139
Exsultet ecclesia . . . . .	185	Jubilantes coeli chori . . . . .	224
Exsultet vox sonora . . . . .	168	Jubilemus collaudantes . . . . .	58
Felix festum felix dies . . . . .	127	Jubilemus fratres mei . . . . .	110
Felix mater militans . . . . .	111	Jucundemur et laetemur . . . . .	190
<b>G</b> abrieli coelesti nuntio . . . . .	48	<b>L</b> aetabundi jubilemus . . . . .	92
Gabrielis suscepit nuntia . . . . .	48	Laetabundus Baptista . . . . .	151
Gabrielis vox jucunda . . . . .	152	Laetabundus Barbarae . . . . .	108
Gaudeat ecclesia . . . . .	86	Laetabundus decantet . . . . .	192
Gaude Cosma cum germano . . . . .	116	Laetabundus Ebrulpho . . . . .	120
Gaude Joseph fili David . . . . .	157	Laetabundus et canorus . . . . .	123
Gaude mater Sion gaude . . . . .	71	Laetabundus exaltet . . . . .	27
Gaude novo gaudio . . . . .	28	Laetabundus exsultet . . . . .	40
Gaudens gaude plebs fidelis . . . . .	71	Laetabundus Remigio . . . . .	209
Gaude prole Francia . . . . .	205	Laetetur ecclesia . . . . .	112
Gaude Sion sponsa Christi . . . . .	141	Laudemus creatorem . . . . .	27
Gaude stirpe Siria . . . . .	181	Laudemus Dominum . . . . .	96
Gaude turba coelestium . . . . .	118	Laude pia et jucunda . . . . .	178
Gaude virgo gloriosa . . . . .	57	Laudes Christo persolvamus . . . . .	148
Gaude virgo gloriosa . . . . .	81	Laudes Christo solvat lactas . . . . .	124
Gaudiose Francia . . . . .	171	Laudes Deo persolvamus . . . . .	158
Gemebundus Mariae . . . . .	53	Laudes rex tibi pie . . . . .	155
Geremari amua . . . . .	136	Laudes tui praesulis . . . . .	208
Gloriosi Amandi cja . . . . .	100	Laudet laude speciosa . . . . .	206
Gloriosi Cyriaci . . . . .	116	Laureata plebs fidelis . . . . .	37
Gratiarum modulis . . . . .	177	Laus Deo patri . . . . .	174
Gratulare sponsa Christi . . . . .	196	Laus patri sit gloriae . . . . .	13
Gratulemur et laetemur . . . . .	146	Laus sit patri, laus sit proli . . . . .	91


	Seite		Seite
Luceruae novae specula . . . . .	128	Purus puer Benjamita . . . . .	178
Lux fulget hodierna . . . . .	14	Quam pie sit recolendus . . . . .	187
Lux illuxit triumphalis . . . . .	137	Quicumque vult . . . . .	12
Lux praeclara Lemovix . . . . .	184	Recolamus venerandum . . . . .	64
Lux surgit annua . . . . .	106	Regem regum collaudemus . . . . .	188
Madens vellus Gedeonis . . . . .	62	Regem regum veneremur . . . . .	170
Magnifica tua festa . . . . .	20	Regis et pontificis . . . . .	22
Martialem chorus noster . . . . .	184	Reminiscens beati sanguinis . . . . .	18
Martyris Hippolyti . . . . .	144	Rex aeternae rex coelorum . . . . .	88
Mater Dei salus rei . . . . .	62	Rex qui regnas sine fine . . . . .	164
Mauri patris memoria . . . . .	191	Rosa gaude salutata . . . . .	57
Maurus pater inclitus . . . . .	192	Sacra Vincentii mundus . . . . .	223
Mente pura contemplemur . . . . .	219	Sacri gleba corporis . . . . .	217
Mira mater exstitisti . . . . .	63	Salutis exordium . . . . .	65
Miris modis et praeclaris . . . . .	59	Salvatoris in honorem . . . . .	218
Mittit ad sterilem . . . . .	51	Salve gemma confessorum . . . . .	210
Moduletur vox amoena . . . . .	138	Salve Maria Christi parens . . . . .	51
Monti Sion dat virorem . . . . .	175	Salve mater gratiae . . . . .	61
Morte Christi celebrata . . . . .	33	Salve mater magnae prolis . . . . .	66
Mundi aetate octava . . . . .	93	Salve mater salvatoris . . . . .	61
Mundus heri laetabatur . . . . .	213	Salve mitis et benigne . . . . .	168
Nos ad laudes praeclara . . . . .	90	Salve pater optime . . . . .	225
Nostri patris et pastoris . . . . .	193	Salve virgo generosa . . . . .	54
Novae laudis harmoniae . . . . .	107	Salve virgo maris stella . . . . .	66
Nube carnis interrupta . . . . .	122	Salve virgo regia . . . . .	66
Nunc fideles jubilate . . . . .	39	Salve virgo sacra parens . . . . .	67
O athleta gloriose . . . . .	216	Salve virgo vitae via . . . . .	67
O benignum crucis lignum . . . . .	28	Sancta Dei mater . . . . .	87
Odas hac in die laetas . . . . .	163	Sanctorum praeconio . . . . .	89
O Maria mater pia . . . . .	63	Sanitati dat languentes . . . . .	132
Omnis homo laudes pangat . . . . .	94	Serpens antiquus . . . . .	23
Omnis mundus laetabundus . . . . .	176	Sion felix gratulare . . . . .	142
O Vincenti dum tormenti . . . . .	225	Si vis vere . . . . .	21
O virtutum vir perfecte . . . . .	148	Sonent plausus laetabundi . . . . .	199
Pangat chorus laetabundus . . . . .	103	Stabat juxta Christi crucem . . . . .	55
Pangat gaudens et concrepet . . . . .	161	Stabat juxta Christi crucem . . . . .	56
Pange Sion redemptori . . . . .	166	Stans a longe publicanus . . . . .	42
Pasce Petre oves Christi . . . . .	203	Stella maris ave . . . . .	68
Personemus solemni . . . . .	145	Stellam maris attendamus . . . . .	69
Petro psallat laetabundus . . . . .	202	Summa summi luminis . . . . .	204
Plebs devota jucundetur . . . . .	122	Summo cantu digna laude . . . . .	167
Plebs fidelis Hermachorae . . . . .	141	Summo regi regnantium . . . . .	127
Plebs fidelis jubila . . . . .	196	Surge turba manu sona . . . . .	109
Plebs fidelis laetetur . . . . .	98	Te collaudat coelestis . . . . .	70
Postquam vergit nox obscura . . . . .	117	Te honorant superi . . . . .	70
Praecursoris et baptistae . . . . .	151	Testamento veteri . . . . .	101
Pretiosa mors sanctorum . . . . .	159	Triumphanti cruore . . . . .	129
Proloquium altum . . . . .	131	Unum simplex et perfectum . . . . .	11
Psallat chorus laetabundus . . . . .	149	Unus amor et unus . . . . .	214
Psallat chorus puellaris . . . . .	173	Vas electum Gracciam . . . . .	119
Psallat plebs egregia . . . . .	126	Velut topazion . . . . .	185


	Seite		Seite
Veneranda veneretur . . . . .	179	Virgo es sacra . . . . .	47
Verbum bonum personemus . . . . .	161	Virgo gemma pretiosa . . . . .	134
Verbum Dei verbum bonum . . . . .	211	Virgo mater salvatoris . . . . .	195
Verbum patris aeternatum . . . . .	53	Virgo parens gaudeat . . . . .	70
Vernat gemma Martinus . . . . .	189	Virgo venerabilis . . . . .	133
Victimae corporis Christi . . . . .	39	Virgo vernans velut rosa . . . . .	173
Victimae perenni laudes . . . . .	39	Virtutes paschalis agni . . . . .	133
Vigor viget hodie . . . . .	222	Vitis palmes exstas vere . . . . .	198
Virginalis hortuli . . . . .	60	Vocis cum eamocna . . . . .	129
Virgini pangamus laudes . . . . .	175	Vos sal terrae, vos lux mundi . . . . .	90
Virginis egregiae . . . . .	135	Vox clarescat mens purgetur . . . . .	12



Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.







# 10788

B

Analecta hymnica vol. 8

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES.

59 QUEEN'S PARK CRESCENT

TORONTO - 5, CANADA

1 0 7 8 8 .

